

DISSERTATIO
PHILOLOGICO-MEDICA
De
ÆSCULAPIO
INVENTORE MEDICINÆ,
Quam

In Illustri Argentoratensium Universitate
SUB MODERAMINE
VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
EXCELLEMTISSIMI atq; EXPERIENTISSIMI
DN. JOH. ALBERTI SEBIZII,
Med. Doct. ac Professoris Celeberrimi, Dni. Præceptoris,
Fautoris ac Promotoris summè semper atque
devotè venerandi,
SOLENNI proponit Examini
M. JOHANNES LAURENTIUS Engelhardt/
Argentinensis,
Ad diem   Mensis Novembr. h. lq. cons.





ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS WELPERI.
Anno M DC. LXIX.

Digitized by Google

INCLYTO

atq;

GRATIOSO

LIBERALIS LEGATI SCHENCKBECHERIANI

DIRIBITORUM

COLLEGIO,

VIRIS

Nobilitate Generis, Magnificentiâ Munerum, Consiliorum Gravitate, Dignationis Excellentiâ, Reverentia Dignitatis, rerum gerendarum scientiâ, & praclaris in Patriam meritis longè Eminentibus,

Patronis, Mecœnatibus, Evergetis atque Promotoribus, pio obsequio æternùm colendis,

Æsculapianas hasce chartas gratiosè suscipiendas

submissè offert

TANTORUM NOMINUM

Subjectissimus & devotissimus Cliens

M. JOH. LAURENTIUS Engelhardt/ Argentinensis.

Digitized by Google

Ornatiſſimo Dno. Reſpondenti,
Amico,

Χαίρειν.

ERgo Cathedræ nobili Æſculapium
Ipſum novo ſiſtis Sagax conamine;
Non ut quibus vel fabulari gloria eſt,
Nomen nec ut vix cognitum qui jactitant.
De Conditore candido Artis inclytæ,
Antiquitas quicquid reliquit provida,
Nepotibus ſenis, ſacrâ caligine
Merſum, modis enuclueas doctis ſatis.
Et ſedulam ſic hactenus ſatis probas
Induſtriam, quam mox, ut umbra corpora,
Sequitur honor laudis, decusque gloriæ.
Sed artibus ſi porrò dotes imbues
Medicis Tuas, ut hactenus, næ dixerim
Vel nunc canoras Lauream Tibi nectere
Muſas, brevi quam porrigant Apollini,
Qui lætus illâ mox premat comam Tuam.
Sed ut integris illam queas quoque viribus
Ambire & obtinere, votis expeto.

Marcus Mappus Med. D.

Egregium

Digitized by Google

E*Gregium est specimen, (rumpantur & ilia Momo)*
Amice, *dum depingis* AESCULAPIUM!
Iudice me placeat, qui miscuit utile dulci:
Vtrumq; Disputator *immò præstitit.*
Nempè sibi cura est, describere Paonis artes;
Nec Philosophia vera à suo Scripto exulat.
Deniq; subjungit perdocta problemata nostræ
Artis, satis voluptuoso gutture.
Ergò, quod superest, de cæptis grator AMICO,
Laudesq;, quas meruit, lubens heic profero.
Crescat fama, AEtas, numeret quo plurima lustra,
Summumque, *quem desiderat, mox volo,* Gradum!

Hisce, Amico suo conjunctissimo, Eximium hoc opus de ÆSCULAPIO, edenti, voluit, debuit gratulari

Joh. Conradus Matthis/
Med. Doctor.

QUis Princeps artis Medicæ? CHARISSIME FRATER,
In Summa Cathedra differis atque doces.
Hæc ut Numinibus cedant votisque secundis,
Corde TIBI toto prospera cuncta precor.

Fraterni amoris ergò pauca hæc apposuit

Johannes Georgius Engelhardt/
Argent. Cult. Phil.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ANθρωπος ἀνθρώπῳ λύκος, *Homo homini lupus*, vetus erat proverbium *Græcorum*, quo significare volebant, non fidendum esse hominibus, imprimis ignotis & adulatoribus, quibus mel in ore, fel in corde, verba lactis, fraus in factis, sed tanquam à Lupo sibi ab iis cavendum. Sicut & *D. Paulus 2. ad Corinth.* 11. monet, *esse pericula*, non solùm à cæteris rebus, sed & *à falsis fratribus.* Quod cùm satis perspectum esset *Senecæ, in Epistola ad Lucilium* 103, exclamavit: *Ab homine homini quotidianum periculum. Adversus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius &c.* Sicut autem nihil adeò noxium, quod non aliquando etiam prosit; veluti serpens, quem videtur natura genuisse occidendis hominibus, is tamen nonnunquam hominibus pharmacum est: ita etiam non semper, neque omnis homo violat, opprimit, necat, sed interdum etiam juvat, sanat, salutemque tuetur. Hoc proverbium quia non erat perpetuæ veritatis, contrarium quoque natum est, quo dicitur Ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ Θεὸς, *homo homini Deus.* Quo indicabatur, Deo summo æquales habendos esse eos, qui opitulati sunt præter spem & expectationem. Sed de quo quæsumus proverbium hoc magis dici potest, quàm de Medico, ægros, veluti præ-

sens

ſens quoddam numen, ad priſtinum ſtatum reducente? Nam ſi de illo, qui mediocri beneficio juvat, hoc dici poteſt; Quid de eo dices? qui arte ſuâ, ſingularique curâ atque induſtriâ vitam jamjam fugientem retinet, ac reſtituit, quod Medicus facit. Quid aliud? quàm ἄνθρωπον ἀνθρώπῳ εἶναι δαιμόνιον. Hæc conſiderantes Ethnici, & inter eos Poëtæ maximè, non hominibus, ſed Diis inventionem artis Medicæ adſcripſerunt: Quæ, ſi ſano ac Chriſtiano ſenſu accipiantur, declarabunt, nullum alium dici poſſe Medicinæ authorem, quā DEUM Trin-unum, à quo omnia bona quotidiè in nos redundant. *Tanta quippe eſt*, quo cum Eraſmo paucis multa complectamur, *ut, ſi permultas res ſola commendat antiquitas, hanc artem primam omnium repererit neceſſitas. Si ſcientiam authores illuſtrant, hujus inventio ſemper Diis attributa ſit. Si quid auctoritatis addit honos, non alia tam paſſim ac tamdiu Divinos honores meruerit. Nam ſi magni fiunt, quæ ſummis viris probantur, hæc ſummos Reges, hæc primates non ſolum delectavit, verùm etiam illuſtravit. Si difficilia quæ ſunt, ea ſunt & pulchra: nihil hac operoſius, quæ tot diſciplinis, tantarum rerum perveſtigatione, uſuq; conſtat. Si dignitate rem æſtimamus, quid excellentius, quàm ad DEI benignitatem proximè accedere? Si facultate, quid potentius, aut efficacius, quam totum hominem certo exitio periturum, ipſi poſſe reſtituere? Si neceſſitate, quid aq; neceſſarium, atque id, ſine quo nec vivere nec naſci licet? Si virtute, quid honeſtius, quàm ſervare genus humanum? Si utilitate, nullus uſus neq; major eſt, neque latiùs patet. Si compendio, hac inprimis frugifera*

fera est. Inventorem itaque constituêre, *AEsculapium Apollinis* filium, quem Benev. Lectori præsente disputatione ob oculos ponere animus est; cùm æquè pulchrum sit scire, unde originem traxerit disciplina, quam Medici tractant, ac scire, quâ simus & nos origine nati. Quo enim feliciora nunc sunt nostra secula, in quæ nos incidimus, eo suavius erit, speculari præteriti temporis caliginem. Et si Virorum Illustrium ipsa propemodum crepundia & infantiam, nescimus quâ voluptate, cognoscere satagimus; quantò magis ipsius artis nostræ, quam suscipimus & admiramur, delectabunt incunabula? Philologica autem hæc potius est materia quàm Medica, adeoque non in Medicorum solùm, sed & eorum gratiam, quibus antiquitas curæ est, eam publicæ luci exponere, atque id, quod vagè hactenus ab aliis de AEsculapio traditum, in unum quasi placuit colligere, ex probatissimis & antiquissimis Authoribus, qui Musæa multorum fugiunt; quorum nomina, vel in materia, vel in margine, ne quem sua lauda videamur intervertisse, notavimus. Nec tamen speramus, id laboris à Viris doctis improbatum iri, quantumvis etiam quis Momus vel Zoilus ogganniat, immorari nos tricis philologicis, cum jacturâ seriorum: Non enim obstat spatiari per amœnissimos Philologorum campos, sed diutiùs in iis hærere. Curioso botanologo non sufficit necessarias easque vulgares ac patrias hortis suis inseviffe herbas, sed peregrinas quoque & exoticas stirpes habere, visum, ac oculos delectat. Sic nos quoque in peregrinis philologorum campis decerpsimus floscu-


los

Digitized by Google

los non quosvis, sed eos, quos usui nobis esse posse vidimus. Immorati tantùm sumus illis, non immortui; verba illorum allegavimus, at in ea non juravimus. Secuti quippe sumus methodum *Christiani nostri Hippocratis, Venerandi Senis D. MELCHIORIS SEBIZII*, cui non displicuit aureo isti libro, *Compendium seu Speculum Medicinæ* dicto, Emblematis loco præfigere imaginem *AEsculapij*, cum adjunctâ explicatione attributorum, quatenus trahi possunt ad Medicum, ejusque officium; Cujus verba, utpote quæ singula, singula in se continent pondera, non piguit nostræ disputationi inserere, & quidem sæpissimè de verbo ad verbum. Verùm pergimus ad rem ipsam, in qua, si B. L. boni quid præstitum viderit, DEO Opt. Max. id acceptum referat, ac exinde ipsum largitorem omnis boni agnoscat: Sin mali, communi hominum sorti & humani intellectus imbecillitati adscribat, bonique consulat, amicè rogamus. Valeat, & vivat, ut post vivat!

CAPUT

Digitized by Google



Caput I.
Historico Effecta Generalia de
ÆSCULAPIO.

§. 1.



Ræclarissima simul & verissima est sententia illa *Theognidis*, quâ prudenter edocuit; *E Squillâ rosam non enasci, è tribulis ficum, è sentibus uvam, ab ancillis filios liberos, ex improbis parentibus probos filios, è Præceptoribus indoctis eruditos discipulos, non productum iri.* Quicquid enim in se nihil prorsùm habet nisi sordidum ac ignominiosum, id nihil dignitatis vel honestatis proferre potest; quippe *κακῦ κόρακ☉, κακὸν ὠὸν*, *Mali corvi, malum ovum.* Salubribus contra ab herbis, ut germina salubria, & ab arboribus bonis boni fructus expectantur; ita à virtute præditis parentibus honesta provenit soboles, ut rectè canit *Horat. 4. Carm. Od. 4.* AEsculapii Origo Divina.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quod *Horatius* hîc de *Pueris Neronis Tiberio & Druso*, privignis *Augusti* exclamat, id certè maximè applicari potest ad *Apollinem*, artis medicæ inventorem, & illius filios, artis ejusdem propagatores, *Arabem* scil. sive *Arabum*, qui apud Ægyptios reperiit Plin. l. 7. c. 56. Bocat. in Geneal. Deor. l. 5. c. 23.

 artem

artem medicam, & præſertim *Æſculapium,* de quo jam nobis diſſerendum, qui, quod Pater invenit, ipſe amplificavit. *Æſculapius* autem hîc pro divinæ artis dignitate, divinam prorsùs habuit originem; erat enim, ut *Div. Auguſt. in l. 3. de Civit. DEI c. 12.* eum vocat, *Pronepos Matris Deorum*, quia *Cybele* Mater Deorum genuit *Iovem*; *Iupiter* Apollinem; *Apollo* Æſculapium. Quare à *Porphyr. in lib. de reſponſ.* de ſe ipſo ſic diſſerens introducitur.

Τρίκκης ἐξ ἱερῆς ἥκω Θεὸς, ὃν ποτε μήτηρ,
Φοίβῳ ὑπευναθεῖσα κυεῖ σοφίας βασίλεια,
Ἴδριν Ἰητορίης Ἀσκληπιὸν, ἀλλὰ τί πεύθῃ.

Quos verſus ita reddidit *Georg. Trapezunt. interpres Euſeb. l. 3. de prep. Evang.*

Natus ego è ſacra Tricca, cui tota medendi
Ars, cui ſeſe omnis pariter ſapientia debet,
Quem mater peperit. &c.

Imò *Apollo* ipſe vocat *Æſculapium* ſuam prolem apud *Ovid. l. 15. Metamorph. f. 50.*

——— ——— ——— *nec Apolline vobis,*
Qui minuat luctus, opus eſt, ſed Apolline *nato.*
Ite bonis avibus, prolemq́; accerſite noſtram.

Pater Apollo. §. 2. Pependit igitur ſpiritus *Æſculapij* ab *Apolline* inventore medicinæ, qui & *Phœbus* dicebatur, unde *Ars Medica* mox dicitur *Ars Apollinea*, ut eſt apud *Ovid. l. 3. triſt. eleg. 3. in epiſtola ad uxorem.*

Nullus Apollinea qui levet arte malum eſt.

Quæ ratio nominis ab inventore derivata; Ipſe enim *teſte Theodontio, Diodoro Siculo, & Quintiliano,* primus herbarum vires novit, & ad opportunitates hominum earum virtutes aptavit: & ob id non ſolùm repertor Medicinæ habitus eſt, ſed & Deus, cùm ægrotantes plurimi ex ipſius remediis ſanitatem conſequerentur. Hâc ex cauſa ab *Ovidio l. 1. metam.* de ſe ipſo ſic canens repræſentatur.

Inventum Medicina meum eſt opiferq́; per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Mox

Digitized by Google

Mox *Phœbea* artis nomine venit. Apud eundem *Ovid. l. 3. Fastor.*

Vos quoq; Phœbeâ morbos qui pellitis arte,
Munera de vestris pauca referte Deæ.

Et l. 1. de rem. am. ita compellat *Apollinem.*

Te precor ô Vates, adsit tua laurea nobis.
Carminis & Medicæ Phœbe repertor opus.

Quod autem nos hîc tribuimus *Apollini seu Phœbo*, id *Cn. Gellius apud Plinium l. 7. c. 56.* ascribit *Soli.* Nil autem refert, cui horum tribuatur inventio Medicinæ, nomina quippe hæc *Apollo, Phœbus, Sol.* authoribus sunt ἰσοδυναμοῦντα. Hujus tamen rei rationem reddens *Macrobius* de ipso Apolline loquens *l. 1. Saturnal. c. 17.* ita scribit. *Hinc quod eidem attribuitur medendi potestas, quia temperatus calor Solis morborum omnium fuga est.* Sicut & Divinus noster *Hippocrates* testatur, de temporum morbis sermonem instituens *sect. 3. Aphor. 9. Autumno*, inquiens, *in universum morbi fiunt acutissimi, & perniciosissimi. Ver autem saluberrimum & minimè exitiosum. Vossius l. 2. pag. 367. de Orig. & Progressu Idololatr.* ex imitatione *Macrobij*, hanc reddit causam; *Quia à Sole est plantarum generatio; quæ & meliùs apricis succrescunt locis, quàm umbrosis & humidis. Etiam pro Sole soloq; variant herbarum vires.* Julianus verò Cæsar παραςάτης cognominatus, *Æsculapium* ait ex *Iove* natum, ex νοητοῖς i. e. *Mentalibus*: *quia ex Divinâ mente super terram apparuisset, per fœcundi solis vitam*, & Epidauri, Pergami, Tarenti & Romæ versatus. *Meibomius in Comment. ad Iusjurand. Hippocr. c. 5. p. 37.* hæc notat de Parente; *de patre*, inquiens, *res est incertissima*: *Nam stupro illam*, Arsinoën scil. (quod tamen falsum) intelligit, *compressam, scriptores ad unum quidem omnes testantur: At stupratoris mentionem non aliter faciunt, quàm quòd Apollini Deo flagitium fabulosè adscribant. Ipsum tamen hominem vilem atq; ignobilem fuisse, Regium puellæ genus vix admittit.* Et hanc suam sententiam authoritatibus probare conatur: *Itaq;*, inquiens, *quod Apolline progenitus credebatur* Cyrillus l. VI. contr. Julian. *Sacerdotes Apollinis id facinus patrasse conjecit, ut*, ex *Reineccij* sententia, quam & *Meibomius* suam facit, *culpæ auctor esset honestior, cum — — — multi* Ovid. l. 3. Metam. fab. 17.

Nomine Divorum thalamos iniere pudicos.

Et

Prudent. l. I. contr. Symmach.

Et *Se dixere Deum, ne stuprum numinis ullus*
Objicere auderet turpi miserave puella.

Fieri tamen etiam potuit, porrò pergit, *ut stupratori forte nomen Apollinis esset, atq; iisdem ille studiis occuparetur, quorum Apollo præses fingebatur. Medicina enim illo ævo ferè non nisi intra Regum & Principum palatia colebatur, ut ex Æliano hist. anim. l.2. c.28. aliisq; liquet.* Sed cùm admodum inconstans & fabulosa sit antiquitas, vix credendum tamen stupro conceptum fuisse *Æsculapium*; magis igitur, cum *Tarquitio de Viris Illustribus*, incerto patre prognatum esse, asserendum videtur; & quia *Apollo* præses Medicinæ habebatur, eò & *AEsculapii*, Viri in arte medicâ principis, parens dictus est.

Tres fuere hujus nominis.

§. 3. Priusquam autem ad matris descriptionem calamum moveamus, ostendendum, quot fuerint hoc nomine insigniti. *In genere* quidem, olim *omnes medici* celebriores dicebantur *Æsculapii*, ab arte hæreditaria Asclepiadea. *In specie* verò *tres* recenset *Cicero l.3. de Nat. Deor.* quibus nomen erat Æsculapius. *Primus*, de quo nobis sermo, *Apollinis* erat *filius* & *Coronidis*, quem Arcades colunt; qui specillum invenit, primusque vulnus obligavisse dicitur. *Secundus*, secundi *Mercurii frater*; is fulmine percussus dicitur humatus esse cynosuris. *Tertius*, *Arsippi* & *Arsinoë filius*, qui primus purgationem alvi, & dentis evulsionem invenit; cujus non longè à Lusio flumine in Arcadia, lucus & sepulchrum ostenditur. *Quem lucum Pausanias in Corinth. scribit, montibus undiq; fuisse præcinctum, in quo ambitu, nenquam vel mori, vel nasci religio fuit, sicut in Delo Insula.*

Mater.

§. 4. Non unus fuit Æsculapius, non una eademq; hinc est authorum de *ipso* ejusque *Matre* sententia. *Diodorus* enim & *Servius* volunt *ex Ariadna Minois & Pasiphaës filia oriundum fuisse*, quæ sententia est falsissima. *Ariadnam* enim *Theseus* in sui amorem allexit, datâque illi fide, quòd eam sibi uxorem duceret, & *Hippolito Phædram* sororem ejus copularet, ab ea edoctus est, quomodo *labyrinthum* intrare, *Minotaurum* superare, & filio ducto inde exire posset. Quapropter his peractis, noctu cum *Ariadne* & *Phædra* navem ingressus, in *Chium*, ut quidam volunt; ut alii in *Naxum* insulam navigavit, ubi *Ariadne dormiente* relictâ ipse cum *Phædrâ* abiit. Cùm verò expergefacta

Digitized by Google

facta *Ariadne* discessum ejus intellexisset, questu atque ululatu fœmineo omnia complens, à *Baccho* ea fortè transeunte amata, & in conjugem ducta est, ex qua *Thoantem* filium, *Lemni* posteà *Regem*, suscepit, item *Oenopionem*, *Staphylum*, *Evanthem*, *Latramym Tauropolimq;*. Nil legitur de *Æsculapio*; brevissimis excerpta sunt ex authoribus pluribus consulendis. *Plutarcho*, *Plinio*, *Tzetze*, *Comite Natali*, *Virgil. Ovidio.*

§. 5. Alii contendunt genitum esse *ex Arsinoë Leucippi filia*, testibus *Apollodoro & Pausania*. Verùm si perpendamus *Arsinoën* matrimonio junctam fuisse *Arsippo*, non autem *Apollini*, facilè innotescet non spectare sententiam hanc ad nostrum *AEsculapium*. Dubio procul autem ducuntur hanc in opinionem, quia & Arsinoë filius, *ut ex præcedente thesi 3. patet*, magni nominis medicus fuit. *Subtiliores*, ut errorem hunc devitent, *Coronidem & Arsinoem* veluti *binomenem* eandem esse non dubitant, ex quibus est *Pindarus Pithior. od. 3.* & *Aristid. de condit. Gnid.* qui volunt *Arsinoën, dum virgo esset, Coronidu nomine appellatam*. Hos tamen sufficienter refutat *Pausanias l. 2.*

§. 6. Probabiliorem sententiam amplectentes, credunt *matrem AEsculapij fuisse Coronidem Larissæam*, filiam *Phlegia Regis Lapytharum in Thessalia*, *Martis, ut fingebant, filij*; qui *Phlegias* acerrimus fuit bellator, insuperque justitiæ ac legum tàm Divinarum quàm humanarum contemptor & hostis infensissimus, unde quoq; *Templum Apollinis Delphici incendit*: Hinc ad inferos detrusus gravissimè maximo cum ejulatu punitur, ut canit *Virgil. l. 6. AEneid.* Diod. Sicul. l. 4. c. 9. Apollon. Argonaut. l. 4. Hygin. f. 14. 97. 202. &c.

—— —— *Phlegyasq; miserrimus omnes*
Admonet, & magnâ testatur voce per umbras.
Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Hujus *Phlegya* filia, *Coronis* nomine, peperit *AEsculapium*, ut *Homerus Hymnographus* testatur, scribens

Ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἄρχομ' ἀείδειν,
Υἱὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς,
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ, κούρη Φλεγύου βασιλῆος.
h. e.

Apollonius l. 4.

Morborum Medicum canto, quem Diva Coronis
Et Phæbo peperit Phlegya olim filia Regis,
Doctius est ubi latus agerq́ Amymq́ fluenta.

Pausanias quoq́ l. 2. ubi satis superque rejicit opinionem existimantium, *AEsculapium* vel ex *Ariadne, vel Arsinoë* ortum trahere, pro confirmandâ suâ sententiâ de ortu *ex Coronide*, apponit *Oraculi* istius *Apollinis* verba, quæ hæc sunt:

Asclepii auxilium cunctis mortalibus almum
Felia, quem Phlegya peperit mihi juncta cubili,
In campis Epidaure tuis formosa Coronis.

Atque huic sententiæ subscribit quoque in *Explicatione Emblematis AEsculapici Speculo Medicinæ Practico* præfixi, *Decus Argentoratense, Vir Magnificus, nulliq́ nostro seculo comparandus, Dn.* D. MELCHIOR SEBIZIUS *Præceptor noster venerandus, piè colendus.* Et quid mirum, si *Apollo* totus flagravit amore *Coronidis?* dum tota in Larissâ pulchrior eâ nulla est inventa; ut placet *Ovid. l. 2. Metam. f. 8.*

Pulchrior in tota, quam Larissæa Coronis,
Non fuit AEmonia. Placuit tibi, Delphice, certè.

Nativitas.

§. 7. *Nativitatem* si spectemus *AEsculapij*, varia eadem traditur ab Historiographis & Poëtis. Ad historicam propiùs alludentes fidem; tradunt, Phlegiam Coronidis Patrem Peloponnesum ingressum filiam gravidam ex Apolline, quod tamen is non senserat, secum adduxisse, cùmque in Epidauri montem pervenisset, illam in finibus ejusdem puerum enixam, quem avus exposuit *in monte*, qui ab eventu posteà *Titthias* h.e. *papilla* est vocatus; ibi enim capra lac infanti præbuisse, & sic papillis capræ infans nutritus esse dicitur, capram hanc canis, à grege, cujus custos erat, discedens, observabat, eique comitem se jungebat; *unde non desunt qui existimant, lacte canino esse nutritum.* Aresthanes igitur Pastor cùm canem & capram gregi deesse cognovisset, universum pascuum peragrans, tandem puerum cum his invenit, è cujus facie cùm fulgor resplenduisset, *Divinum* quid subesse ratus, rem per universam regionem divulgavit,

Pausan. in Corinth. l. 2.

Tarquit. de Vir. Illustr. Lactant. Div. inst. l. 1. c. 10.

Digitized by Google

vulgavit, eumque tanquam numen adoravit: *Ex quo postea tota Epidaurus AEsculapio est consecrata.* Cyrenaicus *Apollodorus in libr. de Diis & Heroib.* ait: *Fama est, hunc qui AEsculapium susceperit filium fuisse nothum Arcadis, Autolaum nomine in agro Thelpusio expositum.*

§. 8. Mythologos imitaturis, rem totam omnibus fabulis insitam, breviter uno sermone hoc modo complecti liceat. Coronis prægnans ex Apolline, copiam rei fecit Ischyi Elati filio, cumque eodem concubuit. Id cùm corvi indicio Apollini innotuisset, en! stat attonitus, præ re novâ & inauditâ, Laurea delabitur, vultus, color, plectrumque excidit, vivam dixisses mortis imaginem. Ut rediit ad sese, ardebat ira, parat igitur patrato sceleri pœnas, ut sibi videbatur, dignas, intenso enim arcu, teloque emisso, petit pectus amasiæ. Icta illa, nescis tu, quantis suspiriis, quantis gemitibus ex alto sauciato pectore petitis, scelus, contumeliam, crimen deplorâtit, deque gravi præ petita vindicta sit quiritata, lubens quippe tulisset, si modò peperisset; ejulans igitur dixit; Potui pœnas tibi, Phœbe, dedisse, sed peperisse priùs; duo nunc moriemur in unâ? Atque inter hæc vitam cum sanguine effudit. Sed ecce! Apollinem post actum factum, post factum pœnitet actum: perluctuosis enim hisce gemitibus ad commiserationem motus, deposito jam crudeli animo, in seriam, seram tamen trahitur pœnitentiam; execratur quippe avem, per quam crimen innotuit, odit arcum manumque quâ confodit tenellam, loturus Æthiopem, medicas pro recuperanda salute exercet artes, sed frustrà. Paratur itaque cremandæ confossæ rogus quo viso, altos de corde petitos Phœbus edidit gemitus,

Et dedit amplexus, injustaq; justa peregit;
Nec tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem. Ovid. l. 2. Metam. f. 9.
Semina: sed natum flammis, uteroq; parentis
Eripuit geminiq; tulit Chironis in antrum.

Pausanias ex aliorum sententia refert, *Coronidem pregnantem, cum Ischye Elati filio concubuisse, ob id autem à Diana interemtam, quod illa Apollini factam contumeliam ulcisci voluerit. Ardente verò rogo, è media flamma puerum à Mercurio ereptum.* Pausan. l. 2.

§. 9. Dictis,

§. 9. Dictis ſuperaddere lubet, fabuloſam ſimul & monſtroſam illam *AEſculapij productionem ex ovo Cornicula*, quam *Lucianus in Dialogo de falſo Vate* hoc modo commemorat. *Frater quidam ex antiquis ſacerdotibus ſerpentem perexiguum in ovum vacuum Cornicula incluſit, ceráq; ſtudioſè oblitum in luto in loco quodam occultavit: Mox ara extructa populum in concionem ad eum locum advocavit, cùm nunciaret omnibus palàm ſe Deum eſſe oſtenſurum. Poſt concionem incognitis quibusdam vocibus uſus Apollinem & AEſculapium invocavit, ut dexter ac felix illi civitati accederet. Deinde phialâ aquam hauriens in profundum demersâ ovum illud unà cepit, quod præſentibus multis fregit, pullumq; recentem ſerpentis inveniens, cunctos homines in admirationem rei induxit. Poſteà verò ſerpentem inſignis magnitudinis, paucis diebus elapſis, in loco ſubobſcuro oſtendens artificiosè ſe moventem, illum ita creviſſe ajebat, ac Deum eſſe AEſculapium Apollinis filium.* Hæc cæcitas gentilis! Sed hæc de Matre & Nativitate Æſculapii dixiſſe ſufficiant, plura tamen de his nôſſe cupidus, præter citatos authores, adeat *Hygin. fab. c. 14. Serv. l. 6. & 7. AEneid. Tzetzem. Hiſt. Chil. 7. c. 97. Arnob. l. 1. adv. gent. Gyrald. de Diis Gent. Syntagm. 7. Cornel. Agripp. de vanit. ſcient. c. 83.*

Locus Natalis.

§. 10. *Nativitatem* hanc contigiſſe apud *Lacercam*, (pro quo legendum eſſe cenſet *Gyraldus Syntagm. 7. Lariſſeam*) ad ripas Amyni, teſtatur *Apollonius l. 4.* his verſibus:

Χωόμενος περὶ παιδὶ, τὸν ἐν λιπαρῇ Λακερείῃ
Δῖα Κορωνὶς ἔτικτεν ἐπὶ προχοῇς Ἀμύροις.

Ob natum iratus prope pinguem quem Lacercam
Ad ripas Amyni peperit Divina Coronis.

Idem ſentit *Homerus*, ut patet *ex §. 6. Meibomius in Comment. ad jusjur. Hippocr.* ductus authoritate Reineccii *Hiſtor. Iul. part. 1. regn. XXVI.* Item, *Tranquill. de Vir. Illuſtr. Lactant. Divin inſtit. l. 1. c. XX. Ariſtid. apud Scholiaſt. Pindar. Pythior. od. III.* ut & aliorum, tradit *AEſculapium fuiſſe Meſſenium. Indicio id eſſe,* ſcribens, *maximè, quod partem Meſſenes, Ithomen & Oechaliam, Euryto olim regnatam, Homerus Iliad. C. AEſculapij filiis paruiſſe tradat: Pauſanias etiam, in Meſſeniacis, Meſſenes regnum penes Neſtorem totum fuiſſe ajat, exceptis iis populis, quibus AEſculapij filij imperarint.*

Digitized by Google

imperârint. Non aliunde autem imperium illud ad ipsos devolutum creditur, quàm ab Æsculapii ex maternâ stirpe progenitoribus, præcipuè cùm ipse non arma tractârit. Sed ultima hæcce verba produnt, quâ ratione *Meibomius* cum *citatis authoribus* hanc in sententiam delapsi sint, nempè quòd *Arsinoën Messeniam* ex regia *Perieris, Regis Messeniorum*, stirpe genus ducentem constituerint: quæ tamen sententia §. 5. est refutata. *Pausaniam* quoque falsè testis loco adduci à *Meibomio*, clarum facit §. 6. *disp. nostra*, ubi ipse *Coronidem* facit Matrem, *Patriam* verò *Epidaurum*, urbem notissimam Peloponnesi, in sinu Saronico, ibi enim ne quis dubitandi locus relinqueretur, citavit verba Oraculi, pro stabilienda sua sententia: Oraculo itaque *Apollinis* si habenda fides *Epidaurius* fuit *Æsculapius*, non Messenius: unde etiam apud *Macrobium, Arnobium, Vossium & alios*, semper *Epidaurij* nomine venit. Sed cùm & *Messenes & Larissa civitates* fuerint *Peloponnesi*, non minùs quàm *Epidaurus*, sufficiat nobis *AEsculapium in Peloponneso* fuisse natum.

§. II. *Nominis* impositionem quod spectat, *Hebraicam* alii, alii *Græcam* proponunt derivationem. *Illi*, sequentes fabulam quâ fingitur ignem ex ejus facie emicuisse, item quòd capræ uberibus sit nutritus, & à cane custoditus, derivant à vocabulis Hebræis עז & כֶּלֶב *sive* אֵשׁ & כֶּלֶב. עֵז *Ez autem significat capram,* אֵשׁ *Esch, ignem,* כֶּלֶב *Keleph* verò, *canem.* *Hi* ab artis præstantia nominis rationem deducentes, dicunt, *alij* quidem prius fuisse *Apium* vocatum, sive ἤπιον ob facilitatem & mansuetudinem; vel quia ægrotorum dolores medicamentis deliniret (ἤπιος enim blandum denotat) Postquam verò *Asclen* quendam *Epidauri Tyrannum*, pro quo tamen quidam ponunt *Aunem Dauniæ Tyrannum*, ὀφθαλμιῶντα sanasset, dictum fuisse, utroque nomine conjuncto, Ἀσκλήπιον, quod Latini posteà, paucis mutatis, pronunciârunt *Asclepium*, seu *AEsculapium.* *Alij* compositum esse volunt ex α, *privativo*, & σκέλλεσθαι, quasi privet morte, aut, ut alii dicunt, ἢ ὡς ὁ σκέλλεσθαι ἐῶν καὶ θνήσκειν τοὺς ἀνθρώπους, *non sinens interire homines aut mori.* Sic & *Phurnutus* ait, ἀπὸ τοῦ ἐσκλῆσθαι καὶ ἀναβάλλεσθαι, τὴν κατὰ τὸν θάνατον γινομένην ἀπόσκλησιν, *i.e. ab excludendo & repellendo factum per mortem interitum.*

Nominis ratio.

Tzetzes Chil. 10. Mercurial, de re Gymnast. l. 4. c. 7.

Homer. & ex eo Eustath. Tzetz. Chil. 7. c. 97.

Nympheæ, Lactug. Plantac. Rosar. Solan. Viol. Papav errat. Sempervivi, Portulac &c. Simplex rursus vel valdè est acre & mordax: vel mitius & temperatius. Mixtum ita se habet, ut vel illius in mixtura plus sit, quàm cæterorum ingredientium, vel minus. Hoc namque modo etiam oxyrrhodinum compôni solet: quod mixtura est ex aceto & ol. rosaceo. Temperatissimum est, quod secundùm *Galen. initio libelli* περὶ εὐπορίστων olei rosacei recipit partes 4. Aceti j. Sic enim mediocriter refrigerat. Quòd verò plus Aceti habet, vehementiùs refrigerat: ut contrà minùs, quod minus habet Aceti. *His præmissis distinctionibus* sic respondemus. Acetum locum habet fronti impositum in cephalalgia calida, biliosa nimirum & sanguinea. I. Quia refrigerat. At refrigeratione in utroq; opus est. II. Quia repercutit. Opus enim hâc repercussione propter humores ad caput affluentes: eò quòd & calor & dolor humores accersat: ipsum quoque cerebrum, quod ratione dolorum debilitatum, affluentes humores facilè admittit. III. Quoniam adstringit, suâque adstrictione caput roborat, quod hîc debilitatur. Vitandum autem Acetum in cephalalgia frigida, phlegmatica scilic. melancholica & flatuosa, tùm quia frigiditatem fovet, cùm ipsum sit frigidum: tùm quia flatus minimè discutit. Quod si in calida cephalalgia acetum usurpare placet, vel non nimis acre & mordax esse debet: & sic nervos minùs vellicabit: vel miscendum cum aquis, aut oleo rosaceo, aut oxyrrhodinum admovendum. Hâc siquidem ratione, & frigus, & acrimonia, & stypticitas illius castigabitur, neque mala introducentur, quorum in objectionibus mentio facta.

An Camphora in calidis capitis doloribus rectè frontalibus topicis addatur?

Plerique affirmativam tuentur, statuentes, camphoram refrigerare. *Alij* dicunt, propterea iis misceri camphoram, quia tenuis sit atque subtilis, penetret valdè, & topicis frigidis instar vehiculi existat, quod illorum virtutem ad interiora

 deducat.

deducat. *Sunt*, qui asseverant, Camphoram esse calidam, nequaquam frigidã, & topicis istis admisceri propterea, quod similitudinis ratione præcalidos vapores, cephalalgiæ calidæ causas evocet, doloremque sedet, quorum sententia haud videtur à vero aliena esse: sicut neque secunda opinio absurda est: utrumque enim Camphora præstare potest: deducere nimirum subtilitate suâ penetrante ad interiora, & acres fervidosque halitus evocare. Quòd autem Camphora calida sit, sequentibus probari potest rationibus. I. Quia valdè tenuium est partium. 2. Quia acris & mordax. 3. Quoniam pinguis, aërea, & oleaginosa. 4. Quia admodùm odorata. 5. Quia facili negotio accenditur. 6. Quoniam levis. 7. Quia vigilias inducit. *At objiciunt* contrariæ opinionis authores, camphoram ardores capitis aliorumque viscerum restinguere: mitigare fervorem erysipelatum, collyriis utiliter admisceri in calidis oculorum epiphoris. *Resp.* Hoc facere Camphoram, non quòd per se refrigeret, sed quòd fervorem retrahat. Per accidens igitur solùm refrigerat, non per se. Ambustis autem, & præter naturam calefactis membris, etiam cœpas cum sale tusas applicamus: non ut refrigerent (utrumque enim simplex calidum est) sed ut empyreuma educant. *Verùm rursùs regerunt*, Camphoram extinguere libidinem Veneream, & sistere gonorrhoëam, fluxumque muliebrem album. Esse proin frigidam. ℞. Hoc facere eam, quia materiam seminalem siccat, & superfluitates absorbet.

An frontalia ex lacte parata in cephalalgia usurpanda?

Constat ex *Hippocrat. aphor.* 64. *sect.* 5. internum lactis usum in cephalalgia convenientem non esse, idque propterea, quoniam est halituosum, & facilè evaporat, caputque petit, & halitibus suis meninges divellendo extendendoque capitis dolorem auget. Facilè præterea in ventriculo corrumpitur. Nidorulentum enim fit in ventriculo præcalido: acescit autem in frigido: quo nomine tetris halitibus implet caput, doloremq; condupli-

tentiùs materias à capite distantioraque loca attrahit. Verùm neque forma, neque numerus impar copiosioris est vacuationis causa. Non numerus, quoniam hic est quantitas: quantitatis autem nulla est efficacia. Non forma rotunda & orbicularis: quoniam neque ista per se causa est fortioris purgationis, sed medicamen sub forma orbiculari præscriptum. Itaque si justa dosis sit ordinata, nil refert, sive pari, sive impari numero pilulæ sint assumptæ. Eademque ratio est figuræ. Nam pilulæ sub longa, triangulari, aut quadrangulari figura confectæ tantum purgant, quantum orbicæ atque rotundæ, dummodò in qualibet figura eadem ingsedientium dosis sit adhibita. Causa ergò fortioris purgationis non est figura, aut numerus impar, sed vis ingredientium quæ valida. Neque verum, quòd pilulæ ventriculo inhærentes, humores ad se & ad ventriculum prolectent: aliàs enim, si illi ad locum, cui insunt pharmaca cathartica, attraherentur, attraherentur quoq; ad umbilicum, quoniam huic purgantia quandoque admoventur. Attraherentur etiam ad manus, quia observatum, quosdam purgatos fuisse, qui pilulas aliquandiu in manibus gestârunt. Attraherentur quoque ad nares: eò quòd quidam purgati fuerint, cum purgantia medicamenta tantùm olfecissent. Forma pilularis ad purgandum caput non improbatur: sed hoc solùm dicitur, quòd forma ipsa per se fortioris purgationis capitis causa non sit: sed quia pilulæ, quæ diutiùs hærent in ventriculo, quàm forma liquida, aliquid ex se in corpus transmittunt, quod humores vi abditâ movet, ipsamque facultatem expultricem irritat & stimulat, ut humores noxios unà cum cathartica medicina expurget.

Quæ causa, quòd strictior fortiorq; capitis ligatura dolorem leniat?

Lenire ejusmodi ligaturam capitis dolorem, experientia docet. Propterea etiam ceu levamen aliquod à vulgo adhiberi solet. Hoc autem facit non in quovis dolore, sed in tensivo tantùm & punctorio, in quo meninges à cerebro quasi divelluntur: idque cumprimis à penetrante & tendente flatu. Arctior igitur fortiorque capitis ligatura arcere videtur, ne me-

Φοίβȣ Ἀπόλλωνος κρατερὸν θάλος, ἀγλαόμορφον,
ἐχθρὲ νόσων, Ὑγίειαν ἔχον σύλλεκτρον ἄμεμφη.
Stirps Phœbi praclara, thori cui splendida consors
Est Hygiaa, gravis morborum pulsor & hostis.

§. 21. Ex Epione filios duos suscepit, *Machaonem & Podalyrium*, viros eo tempore in arte Medicâ præstantissimos, qui unà cum Græcis militârunt ad Trojam. *Machaonem Homerus l. c. aqualem Deo* dicit; *Propert. l. 2.* postquam *Philoctetem*, Herculis sagittâ hydræ veneno tinctâ vulneratum sanavit, de eo cecinit: Filii. Homer. Iliad. C. & d. Celf. l. 1.

Tarda Philocteta sanavit crura Machaon.

Ab hoc *Ovid. Medicam opem* vocat *Machaoniam*, & *artes Medicas, Machaonias.* De *Podalyrio* autem hoc quoque veteribus monumentis traditum est, quòd, cùm ex adversis maris tempestatibus, in Caria à caprarum pastore servatus, & hospitaliter acceptus ad *Damathum Regem* fuisset perductus, ejus filiam nomine *Syrnam* tecto delapsam, cum aliis quibusdam medicamentis, tùm misso ex utroque brachio sanguine persanavit, quod Rex admiratus, illum sibi generum ascivit, *Chersoneso* illi tradita. Observanda hîc cura conveniens lapsis ab alto per venæ sectionem. Est enim præsidium 1. παροχετευτικὸν, *seu derivatorium, Gal. l. 5. meth. med. c. 3.* quia per eam humores, qui jam ad partem aliquam affluxerunt, nondum tamen ei impacti hærent, ad aliam partem eamque vicinam deducuntur. 2. Est & præsidium ἀντισπαστικὸν, *Revulsorium*, quo humores actu fluentes, ad contrariam retrahuntur. Humorum enim fluentium medela est revulsio; eorum verò, qui jam membrum obsident derivatio. 3. Ubi sanguis nimio affluxu fervidus, partibusq; impactus, doloris phlegmonis existit causa, fit etiam *Refrigeratorium.* Et quoniam spiritus ob terrorem reducuntur, àque suo munere & liberâ ventilatione avocantur, ob impetuosum sanguinis affluxum aut motum, accidit, ut, natura S. M. adjuta, sarcinâ istâ molestâ depositâ, tanquam per refrigerium vires recipiat, & actiones *Vitales, Animales, & Naturales*, feliciter peragat.

Ovid. l. 2. de Rem. Amor. l. 3. de Pont. Eleg. 4. & l. 1 de Pont. Ep. 4

Galen. l. 2. ad Glaucon. c. 2. de cur. per S. M. c. 8.

§. 22. *Filias* habuit *quinque*, quas non secus quàm filios docuit Medicinam, atque ita docuit, ut non secùs ac ipse eâ in arte excelluerint, ob insignia etiam in mortales merita, numero tandem Deorum adscriptæ, aris statuisque fuerint honoratæ. Nomina ipsis erant: *Iaso ab Oropibus* honorata, dicta ab ἰᾶσθαι, quasi sanatrix. *Ægle*, quæ corporis splendorem notat, bonamque habitudinem ex sanitate profectam; quod tamen *Theodor. Zuinger.* refert ad gloriam & existimationem, quæ medicum insequitur & concomitatur. *Aceso*, ἀπὸ τοῦ ἀκέσασθαι, à Medendo dicta. *Hygeia*, ab ὑγία, à sanitate; Jonica enim dialectus apud Hippocr. ὑγίεα. Hæc insignis fuit ob Medicinam, ut patet ex *cultu* pluribus in locis cum *Æsculapio communi*; apud *Epidaur. Corinth.* Arigv, *&c.* *Panaceia*, quæ omnium morborum sanationem promittit: est enim compositum nomen ex πᾶν & ἄκος, unde πανακὲς dicitur, quod ad omnia est salutare. Hinc *Antidota* & *Emplastra*, ob virium præstantiam, *Panacea* audiunt, apud *Galen. L.7. κατὰ τόπους c. 5.* *Aëtium tetrab. 4. serm. 3. c. 13. & 15.* *Nicol. Myreph. sect. 1. c. 228. &c.* *Panacea* autem dicuntur, non sensu *Paracelsico*, quasi omnes morbos tollant, hoc enim nec ipsorum *Panacea* præstat, sed quod multa imò plurima mala levent. *Meibom. l. c.* sextam addit Ῥώμην, latinè *Valentiam*, seu robur membrorum & artuum. Verùm ex mente Glossographorum hæc cum Hygeia eadem fuit: Ab hac dictam vult *Marianus* seu *Marinus* apud *Servium Romam*, ab hac verò *Romulum*. vid. *Salmas. in exerc. Plinian. ad Solin. p. 6. D. & E.*

Com. Natal. l. 4. c. XI. p. 376.

Meibom. l. c. c. 6. §. 12.

Interitus.

§. 23. Sed eadem ars, quæ multis extitit causa salutis, authori facta est causa mortis. Ab inferis quippe Diis, ut ingeniosè tradunt Poëtæ, coràm Jove accusatus, quòd eorum imperium minueret, proptereà quòd defunctorum animas ad superos arte medendi traduceret: *ab exacerbato Iove, fulmine ictus est.* Nam ut *Ovidius l. 6. Fastor.* scribit:

Cyprian. de Idolor. vanit. §. 8.
Minut. Felix. p. 24.

Iuppiter exemplum veritus direxit in illum.
Fulmina, qui nimiæ noverat artis opem.

Et *Virgil.*

Et Virgil. *l. 7. Æneid.*

Tum Pater omnipotens aliquem indignatus ab undis
Mortalem inferis ad lumina surgere vita,
Ipse repertorem medicina talis & artis,
Fulmine Phœbigenam stygias detrusit ad undas.

Lactant. l. 1. c. 10. & 19. dicit, *fulminibus ab Iove detrusum in abdita inferorum*, ob mortuos resuscitatos. vid. & *Arnob. advers. Gent. l. 1. & 4. Plin. l. 29. c. 1. Plato in l. 3. de Rep. ob senem pecuniosum, ex lethali morbo sanitati restitutum*, periisse scribit. Ob *avaritiam* & *auri cupiditatem* fulmine percussum esse notant *Pindar. Pyth. od. 3.* & *Euseb. præp. Ev. l. 3. Cyrillus* contra Julianum his consentiens, insuper addit *superbiam & arrogantiam*: *Nam Æsculapius*, inquit, *ubi sub Api præceptore in medicina profecit, inflatus atq; superbiens, se etiam Deum nominabat, & mortuos ab inferis excitare posse, delirans affirmabat: Veniensq; ad Epidaurios, & ibi summam sibi gloriam arrogans, quendam se esse Deum, fulmine ictus est, pœnam illi dignissimam Deo inferente.* Judicium *Gyraldi* ad hæc est; *Iulianum* honestè quidem & sublimè hæc de *Æsculapio* excogitâsse, sed semper *nimiùm mendacem* esse. Gyrald. Hist. Deor. Syntag. 7. p. 246.

§. 24. Mortem hanc graviter tulisse *Apollinem*, patet ex eo *Quintiani in Cleopoli.* Patris Luctus

Iuppiter, Hippolyto, stygia à fornace redempto,
Ecquid Apollineam retonanti fulmine prolem
Opprimis?

Lachrymas autem ejus in *Electrum versas* esse, his versibus prodit *Apollon. l. 4. Argonaut.*

Κελτοὶ δ' ἐπὶ βάξιν ἔθεντο
ὡς ἄρ' Ἀπόλλωνος τὰ δὲ δάκρυα Λητοΐδαο
Ἐμφέρεται δίναις, ἅτε μυρία χεῦε πάροιθεν.

—— —— *Celtæ famam fecere quod illic*
Latoidæ Phœbi lacrymæ volvuntur in imo
Flumine, quas multas in nati funere fudit.

C §. 25.

Digitized by Google

Divinatio.

§. 25. Virum tamen adeò præclarum Musa vetat mori; nam & post funera virtus vivit. *Æsculapius* quippe, veluti Dii cæteri, *propter beneficia, quæ in genus humanum contulit, fuit in Deorum numerum relatus.* Ita enim *Cicero* ait; *Divos, & Ollos qui cœlestes semper habiti, colunto: & ollos quos in cœlum merita vocarint, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum.* Divinis autem honoribus prosequi cœpit, modò *post bellum Trojanum.* Triginta enim octo annis, postquam apud Argivos regnâsset Hercules, Divinitatis honore cultum, ex *Apollodori Chronol.* scribit *Clem. Alexand. stromat. l. 2.*

Cicero l. 2. de leg.

Inter sydera relatus.

§. 26. Ne verò Diis reliquis minor videretur aut inferior, inter *sydera* quoque *collocatus est*, dictus *Græcè* ὀφιοῦχος *Ophiuchus*, perperam ὀφιοῦλκος. neque enim trahit serpentem, sed manu tenet, unde *latinè Anguitenens*, vel *Serpentarius*. *Arabicè* ex corrupto Græco, *Afeichus*, dicitur. Anguem autem ideò tenet, quia herbâ illâ à serpente monstratâ *Hippolytum* (alii volunt *Glaucum*) vivis reddidit. Quamvis *alÿ* velint *Ophiuchum* esse *Canobonta* Getarum Regem. *Alÿ Triopam* Thessalorum Regem. *Alÿ Phorbantem* Triopæ filium. *Alij* Naufragum *Paulum* cum vipera manibus implicita, cui tamen minacis viperæ insultus in Melitâ nihil nocuit, *Actor. 28. v. 6.* Pleniorem hujus sideris cognitionem B. L. petat ab Astrologis.

Perott. Cornucop. col. 581. & 374. Schickard. in Explic. Astroscop. p. 41. §. 74. & p. 97.

Templa ei condita.

Henric. Meibom. disp. de incubatione in fanis Deor.

§. 26. Ex quo autem Deus esse jussus est, ejus in honorem multa variaque variis in locis extrui cœpere *templa* Ἀσκληπιεῖα *Plutarcho & Pausania* dicta; à quibus deinde varia nomina ipsi sunt indita. *Epidaurius* quippe dicebatur à Templo primo eôque nobilissimo ei condito in Epidauro Peloponnesi oppido, à quo distabat V M. passuum; erat autem templum istud, teste *Liv. l. 45.* Dives donis, quæ ægri *remediorum salutarium mercedem* sacraverant Deo. Proximum huic fuit, *Coum* in *Co* Insulâ, Hippocratis patriâ, clarum & multis donariis refertum. *Pergameus* quoque seu *Pergamenus* nuncupatus, à *Pergamo* celebri urbe *Asiæ*, Galeni patria, ubi summo cultu venerabatur; hinc *Martialis*:

Pergameo posuit, dona sacrata Deo.

Sub quo nomine eum etiam invocat *Q. Serenus* pro felici successu, *in initio ferè libri de re medica.*

Qui

Qui colis AEgeas, qui Pergama, quiq; Epidaurum:
Huc ades, & quicquid cupido mihi sæpè rogatus
Firmasti, cunctum teneris expone papyris.

Athenæus l. XV. Siracusanum quoque fuisse refert in *Sicilia*, *Dionysii* tyranni direptionibus magis celebratum, erat enim in eo inter alia donaria mensa aurea, quam auferri jussit Dionys. postquam præbibit poculum boni Dæmonis *Æsculapio*. Plura habuit templa, & ab iis plura cognomina, sed brevitatis causâ B. L. remittimus *ad Pausan. Strabon. l. 8. Polyb. hist. l. 1. Gyrald. de Diis syntagm. 7. Romæ* tamen etiam, licet serius, coli cœpit; postquam sub formâ ingentis serpentis *Romam* advectus, è navi prope Tiberim insulam in triremem prosiliit,

-- -- -- *Et finem, specie cœlesti resumpta,*
*Luctibus * imposuit, venitq; salutifer urbi.* *i. e. pesti.

Malo hoc sublato, Romani extra urbem templum ei in Insula (quia ægroti aquâ maximè sustentantur à Medicis) novo Deo dedicârunt, ubi sub serpentis deinceps imagine coleretur. Quâ de re vid. *Liv. l. X. Val. Max. l. 1. c. 8. Flor. l. 11. Oros. l. 3. Aurel. Vict. de vir. Illustr. c. 23. August. de Civ. Dei. l. 3. c. 12. & 17. Ovid. Metamor. l. 15. f. 51.* Insula autem ista, ubi sibi Templum erigi petivit, *Sueton. Claud. c. 25. Insula Æsculapii* dicitur, hodiè *Insula S. Ioh. Colevita* vocatur, asserente *Fabricio in Roma pag. 85.*

Plutarch. Q. Rom. probl. 94.

Boissard. de Divinat. c. 1. p. 3.

§. 28. Magnoperè verò, inquit, *Vossius l. 3. Theol. gent. c. 35. p. 900.* malignus spiritus illusit gentibus, *remedia* indicando *in somnis*, quibus sanitati restituerentur. Hoc animo in templo dormiebant *Æsculapii*, de quâ *Aristophanes act. 2. scen. 3. Plut.*

Auxilia per Somnia.

—— Κατακλινεῖν ἀυτὸν εἰς Ἀσκληπιȣ̃ κράτιςόν ἐςι.

Cubitum eum reponere in AEsculapij fano optimũ est.

Iamblich. de Myster. Strab. l. 8. Gilbert. Cognat. ad somn. Lucia. p. 24.

Et *Iamblichus, de Myster. Ægypt. serm. 3. c. 3.* ait, medicinæ artem sacris constare, *nocturnarum apparitionum insomniis*; inquè *Æsculapii fano, morbos hoc pacto tolli insomniis divinitus immissis.* Plura vid. *apud Voss. l. c.* Quibus itaque contigisset eum invocare, si convaluissent Æsculapii ope, qui quandoque sacerdoti

Philostrat. in vit. Apollon. l. 1. Strabo lib. 17. & 8. expresse p. 258. Langius l. 1. Epist. 51.

dixisse ferebatur remedia, vehemẽter in ægrotis curandis occupatus, factũ credebant, pro qua re *tabellas pictas*, in quibus & morbi, & medicamina, & nomina eorũ scripta erant, parietibus templorũ appendebant, votaque persolvebant, tanquã præmia illorũ beneficiorum, quæ divinitùs accepissent. Quales autem tabellæ fuerint, conjicere est in proclivi ex quatuor illis Inscriptionibus tabulæ marmoreæ inventis Romæ in Insula Tiberina in templo *Æsculapii*, quas nobis reliquit *Hieron. Mercurialis*, dignas lectu.

Art. Gymnast. l. 1. c. 1.

I. *Hisce diebus* Cajo *cuidam cæco oraculum reddidit, veniret ad sacrum altare, deinde à parte dextra veniret ad levam, & poneret quinq; digitos super altare, & elevaret manum, & poneret super proprios oculos: & rectè vidit populo præsente & gratulante, quòd grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.* II. Lucio *affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus oraculum reddidit Deus, veniret & ex arâ tolleret cinerem, & unà cum vino commisceret, & poneret supra latus: & convaluit, & publicè gratias egit Deo, & populus congratulatus est illi.* III. *Sanguinem revomenti* Juliano, *desperato ab omnibus hominibus, ex oraculo respondit Deus, veniret & ex arâ, caperet nucleos pini, & comederet unà cum melle per tres dies, & convaluit, & vivens publicè gratias egit præsente populo.* IV. Valerio Apro *militi cæco, oraculum reddidit Deus veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur suprà oculos; & vidit, & venit, & publicè gratias egit Deo.* Qui verò morbo levatus non erat, his versibus incusabat Deum:

Mercurial. var. lect. l. 1. c. 13.

Migrare certum est, jam nunc è fano foras,
Quando AEsculapii ita sentio sententiam,
Vt qui me nihili faciat, nec salvum velit.

Philostr. de vita Apollon. l. 1.

Causam repulsarum affert *Apollonius* in responsione ad principem quidem virum inter *Cilices*, sed contumeliosum, & in amores propensum, qui petebat ab Apollonio, ut eum in templum introduceret, *studiosos*, inquiens, *viros Dii absq; sequestre amant: Virtutis & honestatis studium hospitem Deo me fecit, eodemq; fretus quoad fieri ab adolescente potest, famulus & amicus Æsculapii dicor. Quod si tibi pari modo virtutis honestatisq; cura est, fidenter ad Deum accede, & quicquid vis, audacter ab eo pete. Bonis enim & sanctis,*

Digitized by Google

& sanctis, inquiebat sacerdos Æsculapii, *Dii dant bona, scelestibus autem & pravis contraria. Dictum hoc suum adductis in praecedentibus verbis aliquot exemplis satis probavit.* En elegans ac praeclarum ethnici dictum! quo demonstrat non semper Medicum in causa esse, quòd aliqui morbi prorsùs non, alii verò difficulter curentur, sed saepè aegrotum ipsum, aut vitam ejus sceleratam, ob quam à Deo, tanquam poenâ illius sceleribus dignissimâ, hoc vel illo malo affligitur.

§. 29. *Solenniter* etiam *supplicabatur Æsculapio & Hygeiae*, additis formulis, *pro salute sua & suorum*, quae supplicationes erectis, in honorem ejus & filiae, columnis, inscribebantur: unicam saltem formulam placet apponere, quae, teste *Zamoscio in analect. antiq Daciae c. VII. Albae Iuliae* videtur, plures videri possunt apud *Meibom. l. c. c. 6. p. 56.* Supplicationes ad ipsum.

ÆSCULAPIO. ET. HYGIÆ
L. SEPT. NIGRINUS. PATRO.
COLL. FABR. COL. APVL.
PRO. SALVTE. SVA. ET
SVORUM. POSVIT.

§. 30. *Sacrificia* quoque ei fiebant ex victimis. A *Cyrenaicis* immolabatur ei *capra*; vel quia à capra nutritus fuisset, vel quia sanitati adversarium animal videatur, cùm laboret perpetuâ febre. *Alexander ab Alexandr. Genial. dier. l. 4. c. 12.* refert, in sacrificiis *Æsculapio Gallinas esse oblatas*, easque non luteis rostris aut pedibus, ut quae minùs purae, sed nigris, digitisq; imparibus. Nigra enim animantia saniora & puriora judicantur. *Pierius* quoque *salubritatis gratia* & quidem in magna copia ei gallinas oblatas censet. *Quae verò*, inquit, *gallina apud veteres Æsculapio est immolari solita*, salubritatis indicium erat, *propterea quòd id sacrificii genus ideò ferunt institutum, quòd earum caro levissima sit digestionis, ac perinde languentibus commoda. Hujus rei apud* Angelum. *Colotium deprehendimus locupletissimum testimonium: Magnam quippe pedum gallinaceorum copiam proximis diebus defossam juxta cippum, in quo Romae Æsculapii statua erecta*

Sacrificia. Didymus l. 5 Pausan. & Plin. l. 8. c. 50.

Plin. l. 10. c. 56. Aët. tetrab. 1. serm. 2. c. 88. Ioh. Pier. Hieroglyph. l. 23. p. 172.

erecta erat, loco qui hodie vivarium appellatur: quis enim tanto numero pedes ejusmodi congeßisset, nisi sacrificiorum reliquias ibidem relinquere mos fuisset. Vide & *Meibom. l.c. p.47. & seqq.* & *Philostrat. de vit.* Apollon. *l.* 1.

Festa. §. 31. *Festa* quoque ipsi instituebantur, Ἀσκλήπεια dicta; eaque celebrabantur apud incolas *Insulæ Tib. Iovi & Aesculapio*, I. Kalend. Januarij, teste *Gyraldo* in Calendario, ex *Ovidio*. Apud *Athenienses* verò die XVIII. Decembr. ut refert *Alex. ab Alex. Dier. Genial. l.3. c.19.*

Ludi. §. 32. Celebrabantur etiam in luco Æsculapij, qui in Arcadia habetur, *Ludi quinquennales*, die nono post Isthmios, ante Megarenses, tamen incipiente vere, iique apud Epidaurios, penes quos natus fuisse dicitur. *Com. Natal. l.4. c. 11.*

Simulachra. §. 33. Variè quoque ejus *Simulachra* effinxit antiquitas. *Pausanias, Æsculapii Simulachrum ex auro & ebore*, à Thrasimede Pario elaboratum scribit. Is in throno sedebat, virgam tenens in manu: supra verò draconis caput manum alteram habebat, cui etiam canis assistere videbatur. Apud *Sicyonios* templum Æsculapii erat, in cujus vestibulo *imberbis* erat *Æsculapius* ex auro atque ebore confectus, Calamidis opus, *sceptrum* unâ, alterâ verò manu domesticæ *pinus pomum* tenebat. Idem in *Corinth.* sic describit; *in Titane monte habuit simulachrum, cujus sola se facies, manus atq; imi pedes ostendebant: partes cætera lanea tunica alba & pallio velabantur.* Ne tamen nimis prolixi simus in particularibus descriptionibus, universalem ex omnibus collectam hanc damus, cujus singulas partes in distinctis capitibus explicaturi sumus. *Galero*, sive *Petaso, Pileove* rotundo, quem vulgus *Biretum* nuncupat, caput tectum habebat: *Barbam* alebat demissam ac sylvescentem: *Pallio* erat indutus: manu dextrâ tenebat *baculum nodosum*; cui circumvolutus erat *serpens*: sinistrâ gestabat *Pini Pomum*: Ante conspectum illius stabat *Noctua*: ad pedes positus *Canis*: à lateribus *Gallus* & *Draco*. Et hoc modo eum depingit, *Nobiliß. Dn. D.* MELCHIOR SEBIZIUS *Precept. noster omni ætate venerandus, in Speculo Medicinæ.* Item *Rosinus l.2. c. 16. 17. antiquit. Roman.* & *Gyrald. in hist. Deor. syntag. 7.*

§ 34. Sed

§. 34. Sed quid multa scribimus de Æsculapio, cùm maximum adhuc sit dubium circa quæstionem, *An unquam extiterit?* Nam *Comes Natal.* in explicatione mythologica, *Patrem* ejus dicit fuisse *Apollinem* h. e. Solem; *Matrem Phlegiam*, h. e. calorem Solis; *Æsculapium*, nil nisi aëra; cujus filiæ *Hygeia &c.* h. e. salubritas & bona valetudo. *Nisi enim Solis calor aërem perpurgat, ac rariorem facit, & nisi vis quadam humoris in ipso aëre relinquatur, nulla potest esse salubritas.* Ad hæc respondemus, narrationem de AEsculapio dupliciter considerandam esse, uno modo *Fabulosè*, uti ex hactenus factâ delineatione B.L. satis videt. Altero, *Historicè*, quatenus Poëtæ sub nomine AEsculapii venditârunt, principem aliquem Medicum, cujus nomen celarunt, qui multos sanitati restituit, conclamatâ anteà valetudine creditos. Sed quia & ille tandem, fatali omnium lege, leti calcavit viam, occasio præbita est omnibus eum desiderantibus calumniandi Jovem, quasi merâ illum invidiâ sustulisset. Ergò finxére eum à Deo irato, fulmine percussum. Hoc modo extitisse admittimus, non illo.

An, & quis fuerit AEsculapius?

Pausan. in Achaic. p. 519.

Voss. l. 2. c. 12. de orig. & progr. idol.

§. 35. Cur autem authores tam unanimi consensu Diis eorumque filiis inventum medicinæ tribuant, eleganter explicat *Quintilianus in declamat.* 268. cujus proinde verba adscribi merentur: *Medicina*, inquit, *auctores ante omnia accepimus Deos:* sive (ut maximè reor) *ut hac infirmitas hominum haberet adjumenta aliqua, atq; solatia, sive tantùm huic arti tribuere majores, ut eam vix crederent humanis potuisse ingeniis inveniri: sive ipsa Medicina per se sacrum est.* Hinc Tiraquellus JCtus post longam contemplationem, multiplicis diversitatis in corporibus humanis, infinitorum discriminum in tot millibus herbarum, tot generum morborum, & remediorum adversus morbos quoslibet repertorum, tandem in hæc verba erumpit. *Hac, inquam tam abditâ rimari curâ, tàm ardua viribus animi adipisci, tàm multa memoriâ complecti, tàm necessaria ad salutem universi mortalium generis in commune proferre, nonne prorsùs homine majus ac planè Divinum quiddam fuisse videtur? Sed & hujus rei causa in id rejici potest, quod,* ut dicit Campanus, *nihil tàm pestilens atq; contagiosum, nullum malorum extat genus, cui non sint à Medicis excogitata saluberrima remedia, sive ambulare claudos, loqui balbutientes*

Cur Diis & eorum Filiis inventio Medicinæ adscripta.

De Nobilit. Primig. c. 31. § 35.

Digitized by Google

butientes & mutos, resipiscere stultos & insanos plerumq; videmus, quæ res par miraculo, si miraculum non sit, Divinitati assignanda videri potuit. Item Deus homines naturâ productos: Medici arte, curâ atq; vigilantiâ tuentur. Deus nobis vitam dedit, eam Medici (quod Deo proximum est) conservant, & jam fugientem retinent, atque multò efficiunt diuturniorem. Quæ testimonia, non à Medicis petita, forent enim, ut dici solet, testes de domo, satis tùm Originem Medicinæ demonstrant Divinam, tùm rationem cur non nisi filiis Deorum à veteribus concredita.

Caput II.
De Tegmento Capitis.

§. 1.

Consideratâ *præclarâ origine, vitâ & morte Æsculapij*, ordinis ratio postulat, ut & *insignia* tanti viro attributa explicentur. Ne autem ὕστερον πρότερον procedamus, à Capite, ut parte principe corporis, initium faciemus, quod, Cap. 1. §. 33. *Galero seu petaso, pileove rotundo, quem vulgus Biretum vocat, tectum fuisse diximus.*

Lauro cinctus. Rosin. antiq. Rom. l. 2. c. 17 Scholiast. in Aristoph. Pluto.

§. 2. Non desunt tamen, qui *Lauro* cinctum fuisse contendant; ex hâc ratione, *quia Laurus venenis resistere* credita est, ac plurima petantur ex ipsa remedia, tùm quia triumphantes ea coronantur, ipseque *Æsculapius victor debellatorq; esset morborum*: Deinde, *quia Laurus quoq; videtur adversus fulminis ictum tueri*, quandoquidem arborum una non icitur fulmine. Id adeò verum credidit Tiberius Cæsar, ut, tonante cœlo, nunquam non gestaret capite lauream coronam. Unde ob præstantiam carmen illud:

Sum Laurus virtutis honos pergrata triumphis,
Ianitrix domûs, fulmina dira fugo.
Hostibus immissa & pacem requiemq; laborum,
Victori palmam lætitiamq; fero.

Vid. Polydor. Vergil. de rer. invent. l. 3. c. 4. & Nicol. Perott. Cornucop in 7. Martial, Epigr. p. 619. Horum sententiam quidem non rejicimus, placet tamen retinere cum aliis Galeam aut Pileum.

§. 3. Dicitur

§. 3. Dicitur *Galea seu Galerus* ἀπὸ τῆς γαλῆς, *à Mustela,* German. ein Wiselin; γαλῆ enim denotat *Cattum seu felem* & *Mustelam,* in domibus frequentem præcipuè villaticis, gallinarum, leporum, pipionum & ovorum maximè appetentem, noctuque ferè tantum grassantem, è quarum pellibus fiebant Galeæ. Vetustissimis enim temporibus Galeæ fiebant ex pellibus mutorum animantium: unde *Galeati* sæpè dicti sunt *Cornuti,* quia Galeæ loco sumebant pellem capitis bubuli cum cornibus. Postquam verò pro pelliceis galeis introductæ sunt æneæ ac ferreæ: figuram tamen muti animantis, aut capitis saltem, in ea expresserunt. *Pileus* quoque remotè dictus *à pelle,* ab hac quippe, quia ex ea prodiit, dicitur *pilus,* composito vocabulo *capillus,* quasi capitis pilus; cum autem *Pileus* vel fieri solet *ex pilis,* vel *pilos tegit,* dictus inde est pileus. Vel dicitur ἀπὸ τὸ πιλεῖν, quod est condensare & cogere, quia ex lanâ coactili densatur. Etymologia. Salmas. in Exerc. Plin. p. 1009. Voss. l. i. de orig. & progress. idol. c. 27.

§. 4. Latè etiam atq; ἀναλογικῶς accipitur vocabulum *Pilei seu Galea.* I. *Pro Hippomane s. carunculâ illâ nascente in fronte equinorū pullorum;* verùm malè, quia est tuberculum, caricæ simile, non χόριον & πίλιον, quod ab equa parturiente projicitur: χόριον quippe Græcis dicitur, τὸ κάλυμμα τὸ συγγινόμενον ἐκ τῆς κοιλίας. II. Pro *pellicula aut membrana corpus tegente.* Unde III. Latini *pelliculam illam, quâ infantes caput velatum habentes in lucem prodeunt,* vocant *Galeam,* den Glückhelm / si mas est; *Vittam,* das Glückhäubel / si fœmina. Alii si adhæreat parti, aliter vocant, ut si manui, *Chirothecam;* si corpori, *indusium* aut *camisiam.* De his velaminibus pervetus superstitio est, quam & hodie obstetrices in credulis mulieribus fovent, Felicitatem portendere non solùm, sed & conferre, si vel comederint, vel secum gestârint: Exinde quippe hos posse vaticinari, ab armis tutos esse, aliaque habere privilegia nugantur, ut omnia dexteritate magnâ & singulari felicissimoq; successu efficiant, siquidem *Rubicunda* illa fuerit: unde obstetrices illam rapiunt, venduntque credulis advocatis; siquidem Caufidici se illo adjuvari persuasum antiquitùs habebant. Si enim *Nigricante* colore ea membrana sit, tanquam ex tripode pronuntiant deliræ ignaræque mentes vatum, multa infantibus infesta,

Pilei & Galeæ acceptio lata. Salmas. exerc Plin. p. 939.

Ioh. Antonid van der Lind. Med. Phisiol. artic. XVII. Vopisc. Fortū. Plempius Fundam. Medic. l 2. c. 5. Aelius Lamprid. in vita Antonini.

Digitized by Google

infesta, multaque sinistra iis impendere, ac spectris strigibusq; fore obnoxios, denique insomniis nocturnâque inquietudine divexandos, nisi hæc comminuta potui exhibeatur. Verùm quid color quæso hic portendit? cùm sit accidens, cujus nulla vis. *Quo enim*, inquit Lemnius, *color iste referendus aliter, quam ad circumfusos, qui utero innatant, humores: ex illis enim coloris varietatem sibi asciscit &c.* Quare non immeritò, *à Plempio l. 2. c. 5.* hæcce *mera & germana gerra* vocantur: solus quippe hujus membranæ usus existit in utero, extra eundem verò planè nullus. Audiamus etiam de his *Thom. Bartholini Anatomici probatissimi* judicium verissimum: *Ego*, inquit, *ex neutro augurium desumo. Tàm galeatos infelices vidi, quàm nudos, imò hos illis interdum fortunatiores, casuq; evenit, quod infirmis juxta ac robustis adhæreat.* Nihil autem aliud *Bartholino* videtur, sicut & *Lemnio*, *Paræo*, *Plembio*, ac *Antonida van der Linden*, quam *Amnij pars*, quæ secundùm *Lemnium*, à felici validoque enixu matris remanet, genitalibus robore naturæ distentis, in difficiliori verò partu relinquitur. *Spigelius* contrà, in debilitate tùm matris tùm fœtus id arbitratur contingere, ob quam Embryo membranam istam rumpere nequit; unde non de nihilo est, quando concludit, *esse ferè brevioris vitæ, qui aliquâ in parte velati nascuntur.*

Lemn. de occult. natur. mirac. l. 2. c. 8.

Anatom. reform. l. 1. c. 36 p. 194.

De form. fœtus part. l. c. 6.

Galeæ & Galeri discrimẽ.

§. 5. Inter *Galeam & Galerum* tamen duplex discrimen est. *Unum*, quod Galerus acuminatior, & turbinatior Galea. *Alterum*, quod Galerus erat plerumque è pellibus aut lanâ ferarum, Galea utplurimùm ex ære.

Genera pileorum.

§. 6. In universum tamen *Triplex* erat genus pileorum, quo sacerdotes utebantur. *Apex*, pileum subtile circa medium virga eminente. *Tutulus*, pileum lanatum metæ figura. *Galerus*, ex pelle hostiæ cæsæ. *Vid. Sueton. lib. de genere vestiment.* Nos *Quartum* addimus genus, Regibus proprium, nempè *Tiaram*; hanc enim soli Reges Persarum coni instar erectam, Duces verò, tanquam gravitatis signum, inclinatam gestabant. Tiaram, Curtius *l. 3.* vocat *Cidarim*, verba ejus sunt; *Cidarim Persæ Regium capitis vocabant insigne.* Hinc *Brissonius* existimat, *Tiaram, Cittarim seu Cidarim, Caustam seu Petasum, Pileum, Zyrbasiam*, re quidem, quatenus caput teguntunum idemq;

esse,

autem *Erasti* argumentum respondetur, tametsi amuleta noxios non educant humores, adversantur tamen illius malignitati, quæ humoribus inest, quæque mali causa est: non quidem manifestâ aliqua, sed omninò abditâ qualitate, quæ à forma specifica ortum trahit. Habent enim non solùm elementares qualitates sua contraria, sed etiam occultæ. ***Ad secundum.*** Licet amuleta partes affectas & causas affectionum immediatè,& physico contactu non contingant, contingunt tamen illas eo contactu, qui virtutis appellatur, quâ ratione Sol & Luna hæc inferiora corpora contingere dicuntur: Magnes quoq; ferrũ, etiam longiùs à Magnete distans. Experientia etiam testatum fecit, quosdam, qui ob *ἀντιπάθειαν* quandam à felibus abhorrebant, in sudores syncopticos, animique deliquia incidisse, cùm ejusmodi essent in conclavi, in quo & feles fuissent etiam inclusæ, & ab hominibus minimè visæ. ***Ad tertium.*** Licet amuleta naturale temperamentum non lædant; immutant tamen eas qualitates, quæ occultæ sunt, quas fugant & demoliuntur. Nam sicut in elementaribus qualitatibus datur contrarietas, ita & in occultis: quæ etiam antipathiarum sunt causæ.

An frictiones in paroxysmo Epileptico aliquid habeant utilitatis?

De hoc quæsito contrariæ extant Doctorum sententiæ. *Erastus disp.* 4. contra *Paracelsum* arbitratur, cùm frictiones nihil ex loco affecto, ipso scil. cerebro evacuent, nihil etiam utilitatis præstare posse. Alii persuasum habent, conducere frictiones plurimùm, si scil. cum pannis calefactis & asperis instituantur deorsùm versùs, & quidem satis fortiter, in brachiis, scapulis, dorso, cruribus & tibiis. Quorum sententiam nos non improbamus. Rationes sunt sequentes. I. *Quia* ejusmodi frictiones partes calefaciunt, poros aperiunt, humores & flatus attenuant, faciuntque, ut discutiantur & insensibiliter exhalent. II. *Quia* sensus, qui in Epileptico paroxysmo sunt sopiti, excitant, atque efficiunt, ut laborans eò citiùs ad seipsum redeat. III. *Quia* vapores cerebrum petentes avertunt, & deorsum trahunt. Nec obstat *Erasti* ratio, quâ dicit, obtusum

Digitized by Google

eſſe partium ſenſum in paroxyſmo, hocque nomine frictiones non ſentire. Nam etſi ſenſus ſit obtuſus, & frictiones partes non ſentiant, tamen frictiones partes calefaciunt, meatus aperiunt, humores & vapores diſcutiunt, exitum illis præbent per recluſos poros: eosque à capite avertunt.

An ſpaſmus affectus ſit periculoſus & lethalis?

De ſpaſmo quæritur univerſali, non particulari. Illum periculoſum & lethalem eſſe affectum, ex *Hippocrate* doceri poteſt. Nam *aphor. 6. ſect. 5.* ait, tetanum poſſe hominem interimere intrà ſpatium 4. dierum. *Ratio eſt*, inquit *Galen. in comment.* quoniam natura tàm gravem tenſionis, quæ utrinq; fit, laborem, & hinc ortum dolorem diù ferre nequit: ac ob id primo ſtatim dierum criticorum circuitu malum judicatur. Eſt enim, inquit *Galenus* tetanus compoſitus ſpaſmus ex opiſthotono & emproſthotono. Ideóque utroque deterior. Idem *Hippocrat.* convulſiones omnes malas & periculoſas proclamat, quæ fiunt à copioſo ſanguinis fluxu, *aphoriſm. 3. ſect. 5.* & *aphoriſm. 9. ſect. 7.* Ab immodica purgatione, quam *ὑπερκάθαρσιν* vocant: *aphor. 4. ſect. 5.* Ab Ileo, *aphoriſm. 10. ſect. 7.* A muliebri profluvio, *aphor. 56. ſect. 5.* A vigiliis, *aphor. 18. ſect. 7.* A vulnere, *aphor. 2. ſect. 5.* A febre ardente, *aphor. 13. ſect. 7.* Refert *Schenckius l. 1. obſervat. 238.* ſchemata horribilium ſpaſmorum, quibus muſculorum & tendinum capita ad divulſionem uſque extenſa viſa ſunt. Narrat etiam ibidem, quendam calcaneis clunes attigiſſe. Sed doloribus ſupervenientibus acerbiſſimis, & vigiliis diem ſuum obiiſſe. Idem affirmari poteſt de motibus convulſivis. Nam & iſti ſæpè lethales eſſe ſolent: quoniam vires vehementer debilitant: id quod ſæpiſſimè in infantibus obſervamus

Sintne in Spaſmo principaliter nervi, an muſculi affecti?

Reſp. Utramque partem affectam eſſe: ſed muſculos, ut inſtrumenta motûs voluntarij: nervos, ut vectores ſpirituum animalium, ſine quibus muſculi movere membra non poſſunt.

Princi-

Principaliter tamen musculi videntur affecti: ratio est, quoniam spasmus motus est depravatus, estque involuntaria & perpetua musculorum contractio: scil. tamdiù, quandiù causa perseverat. At motus istius organum sunt musculi: non nervi per se, sed tantùm per accidens. Nervus enim, quatenùs nervus est, causa est motûs, sine quâ motus fieri nequit, non autem causa principalis. Est etiam causa sine qua sentire partes non possunt. Præstant igitur nervi quidem usum necessarium ad motum, sed proxima motûs organa non sunt: neque musculos, & per consequens etiam neque membra, in quæ musculi implantantur, per se movent. Neque sanè etiam movere & contrahere musculos & membra, in quæ illi inseruntur, possunt. 1. Quia maxima illorum pars adeò est minuta, adeò mollis, tenera & delicata, ut si contrahendo moverent musculos & membra dicta, disrumperentur facilimè: præsertim in violentis & continuis convulsionibus, quales in Epilepticis deprehendimus. 2. Quia plerique non κατ' αὐτὸ, secundùm rectum, sed flexuosè musculis immiscentur. Itaque non possunt semper eodem modo musculos & membra eorum flectere, & contrahere. 3. Quia musculi semper moventur & contrahuntur versùs sua principia. At sic moveri nervos minimè videmus propter eorum flexuositatem.

Cur in convulsivis Epilepticorum motibus principes pereant actiones, in vero autem spasmo non semper?

Ratio diversitatis est, quia in Epilepsia cerebrum semper est affectum: modò per essentiam: modò per consensum: materia cerebro communicata à ventriculo, intestinis, utero, liene, &c. In spasmo autem verè ac propriè dicto causa tantùm circa partem affectam hæret. Etenim in ἐμπροσθοτόνῳ, in quo cervix totaque spina versùs anteriora flectuntur, adeò ut æger se erigere, erectusque incedere nequeat, cervicis & spinæ musculi, qui corpus versùs anteriora flectunt, afficiuntur. In ὀπισθοτόνῳ, in quo corpus versùs posteriora incurvatur, musculi, qui id versùs illa flectunt, laborant. In τετάνῳ, in quo partes

 corporis

corporis æqualiter antrorsum & retrorsum tenduntur, & tensæ quasi in æquilibrio manent, dicti musculi noxam patiuntur utrinque.

An spasmus fiat à repletione & inanitione.

Ita docet *Hippocrat. aphorism. 39. sect. 6.* Cujus sententiæ subscribit *Galenus*, utiturque similitudine à chordis & coriis desumpta. Nam quemadmodum hæc corpora, si vel Soli, vel igni exponuntur, absumpto humore corrugantur, brevioraque evadunt: & sicut ubi humorem aliquem imbiberunt, latitudine & crassitie auctâ, longitudo imminuitur, & breviora redduntur, ita quoque arbitratur *Galenus*, idem in nervis & musculorum fibris ac tendinibus accidere, ut illis resiccatis, aut humore refertis, breviores fiant. Hinc *Hippocrat.* spasmi ab inanitione facti, sæpiùs meminit. *Convulsio sive spasmus*, febri superveniens malum, *aphor. 26. sect. 2.* *Convulsio* ab Helleboro lethalis, *aphor. 1. s. 5.* *Convulsio* ab hypercatharsi mala: *aphor. 4. sect. 5.* *Convulsio* à copioso sanguinis fluxu perniciosa, *aph. 3. s. 5.* *Convulsio* à καύσῳ pessima: *aphorism 13. s. 7.* *Convulsio* à vigiliis prava: *aphor. 18. sect. 7.* Idem judicandum *de convulsione*, quæ fit post diuturnas inedias, immodicos labores & exercitia corporis. Hæc enim ab inanitione provenire perhibetur. *A repletione* verò orta censetur, 1. quæ sequitur partium musculosarum inflammationem, 2. Crapulam atque ingluviem. 3. Suppressam aliquam vacuationem, quæ priùs erat consueta, 4. aut intermissam corporis exercitationem. *Verùm* hasce duas causas spasmi recentiores non admittunt. Et quidem contrà inanitionem seu resiccationem, sequentia proferunt argumenta. I. Quia fieri non videtur, ut in vivo corpore tanta oboriatur siccatio nervorum ac musculorum, ut instar coriorum, lororum, & chordarum, Soli, vel igni expositarum, resiccentur, corrugentur, & contrahantur: sine humore enim & calore nemo mortalium vivere potest. II. Quoniam qui hectica μαρασμώδει laborant, spasmo conflictarentur omnes. At hoc falsum esse, praxis ostendit quotidiana. III. Quia idem spasmus etiam

Digitized by Google

usus in acetariis alibi frequentissimus existit; herbam hanc alii *barbam petræ* vocant; in Gallia Transpadana *barbula hircina* dicitur; ad Græcorum similitudinem, τράγος quippe hircus, πώγων barba est. Est & *uva barbata*: *Barba* item *Iovis*, quæ est Cytisus incanus Creticus: ut & *Barba Capræ*, alio nomine *Vlmaria seu regina prati*, Denique Plantula illa, quæ *Pimpinella sanguisorba minor*, à Germanis Herrgottsbärtlin appellatur, ob hirsuta capitula. Sed hæc ἀναλογικῶς duntaxat barbata vocantur.

§ 4. Circa eruptionem barbæ notandum, eam *non uno eodemq; tempore exire*, sed pro temporamentorum diversitate in hoc citiùs, in altero tardiùs, id in calidioris, hoc in frigidioris naturæ constitutis. *Tempus* tamen *universale*, constituitur à Medicis & Physicis, inter *Pueritiam & Iuventutem*, ab anno plerumque XVIII. Barba quando crescat.

§. 5. Prodiens barba è latebris suis *ornamento est Viris & Adolescentibus*: sicut enim pili caput ornant præsentes, absentes dedecorant; juxta illud Poëtæ: Ornamentū.

Turpe pecus mutilum turpis sine cramine campus,
Vt sine fronde frutex, sic sine crine caput.

Ita & barba mentum virile. Ridiculum namque est, fœminam esse barbatam, contrà verò virum esse imberbem, mentumque habere, & genas pilorum expertes, deforme: *Venerabilis autem magis mas apparet*, inquit Galenus l. 11. us. part. c. 14. *si ætatis progressu pili pulchrè labiis & mento circumfundantur.* Hinc Germani *senem barbatum* vocant, ein schöner alter kluger vnd verständiger Mann. *Iuvenem imberbem*, ein jung Lappen- oder Milchmaul/ das noch nicht unter den Alten mit einreden soll.

§. 6. Non tamen ornamento saltem est barba prodiens, *sed etiam signo*, unà quasi cum barba crescente *crescere & judicium seu rationem & rerum experientiam*; Quare ad hanc ætatem progressi demum officiis publicis præesse, eaque negotia obire incipiunt, quibus prioribus annis indigni censebantur. Rationis signum.

§. 7. Ad *roboris* quoque, *Virilitatis*, *& maturitatis ad procreationem*, significationem *à natura viris est concessa*. Unde Virilitatis signum.

Diogenes

Digitized by Google

Diogenes dicebat, se ideò barbam gestare, ut virum se esse subinde recordaretur.

Dignitas ej9.

§. 8. Magno etiam *in honore & dignitate habebatur* apud veteres *barba*. Hinc *Cynicus apud Lucianum*, tàm desormè putat esse, ornamentum barbæ auferre viro, quàm Leoni jubas detondere. Sic *Legati* Davidis *summâ credebantur affecti ignominiâ, quod* Rex Ammonitarum *non solùm vestes eorum ad medias usq; nates, ita ut neque ferenda amplius tegere possent, praciderit, verùm etiam curârit, ut dimidia pars barba resecaretur, quo altera duntaxat faciei pars esset barbata, altera verò imberbis, & consequenter valdè deformis, ac intuentibus ridicula.* Quanto in honore habuerint barbam, colligere est ex hoc, quòd Diis primitias ejus offerre soliti sunt. *Thesei enim exemplo, qui primus Delphis anteriorem capillum dedicavit*, scribit Alex. ab Alexandro Genial. dier. c. 18. l. 5. *Athenienses juvenes cùm ex ephebis excessissent, anteriorem comam* Phœbo & Æsculapio aut Libero *obtulerant primitias*: *Postea Romani adolescentes magna indolis, prima lanuginis barbam Diis consecrare usurpârunt.* Cui consentit *Suetonius in Nero: c. 12.* Gymnico sic scribens, quod in septis edebat, inter Buthysiæ apparatum, *barbam primam* Nero *posuit, conditam in auream pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam Capitolino Iovi consecravit.* *Et Dion. in Nero: Post hac celebravit festa alterius generis, qua dicuntur Iuvenalia: ea propter barbam ejus, qua tum primùm rasa fuerat, facta sunt: cujus pilos in sphaeram auream conjectos, Iovi Capitolino consecravit.*

2.Reg. c. 9. Pierius l. 32. Hieroglyph.

Applicatio ad Medicum. Medicus sit expertus,

§. 9. Indigitat ergò *barba* ad eam jam ætatem pervenisse debere Medicum, *ut experientiam, velut alterum Medicina crus, sibi comparârit.* Eo enim desiderato, Medicum claudicare est necesse: quantumvis crus alterum, ipsi videlicet ratio, illi addit. Unde *Hippocrates* usum & experientiam egregium *διδασκαλεῖον libr. de flat.* appellat. & *l. de artic.* requirit à Medico *multarum rerum usum*, dicens, *πολλῶν γὰρ ἔμπειρον δεῖ εἶναι Ἰατρὸν, Multarum enim rerum usum oportet habere Medicum.* Et *Ianus Damascenus Aphor.* 88. vult, ut ægrotus Medicum eligat fidelem & expertum, eoque diu utatur. Et *aphor.* 103. nulli, *inquit*, credendum est, quantumvis literato Medico, nisi ætatem habenti.

Digitized by Google

habenti & experto. Denique *aphor.* 48. asseverare minime dubitat, Medicos illiteratos, rerum imperitos & adolescentes utplurimum homicidas esse. Sed cùm *experientia sit difficilis*, juxta *Hippocrat. sect.* 1. *aphor.* 1. Non facile nisi in senem aut provectioris ætatis hominem cadit: qualem *Apulejus Metam. l* 5. vocat, *senectutis prolixa beneficio multis experimentis instructum*. Seris enim, *inquit Ovidius*, venit usque ab annis prudentia. Et, in antiquis, *ait Iob. c.* 12. est sapientia, & in multo tempore prudentia: eò quòd prudentia acquiratur experientiâ; experientia autem longo demum tempore, scil. post diuturnam rerum singularium tractationem comparetur. Itaque huc respiciunt, *inquit Meibom.* Poëtæ, quando ducibus suis *Medicos adjungunt senes*; ut quando Æneæ *apud Virgil. Æn.* 12. præstò est *longævus Iapis*, Hannibali *apud Silium Ital. l.* 5. *Synalus senior*.

Caput IV.
De Pallio Æsculapij.

§. 1.

NOn solùm autem *Pileatus* aut *Barbatus*, sed & *Palliatus* cernitur *Æsculapius*, prout Virum apud Græcos celebrem honestumque decebat. Quod enim *Toga* (à tegendo dicta) erat Romanis, id *Pallium* (sic dictum, quia palàm gestatur, aut quia reliquas vestes totumque corpus palliat, ab inusitato verbo pallio, quod est tego) Græcis; unde *Palliati* dicuntur pallio induti, sicut *togati à toga*; item *palliata comœdia*, quæ scriptæ sunt secundùm ritus & habitus Græcorum Palliatorum.

§. 2. Et quia totum reliquum corpus, & cæteræ vestes pallio tegebantur, aut saltem ita comparatum erat, ut quæ oculis submovenda tegi possent, *Pudoris & Castitatis* insigne habebatur; sicut *Palla* mulierum, quâ indutæ dicebantur castæ ac honestæ mulieres: Et *stola* apud Romanas Matronas castas, quâ non aliter utebantur, quàm viri *Tunicâ*. Quod tamen non omnibus æquè conveniebat, sed tantùm primariis; Hinc *mulier stolata* pro honestiore, locuplete ac primariâ; *Togata* verò pro plebeja & minoris dignitatis, imò, quia solæ ancillæ & impudicæ

Pudoris & Castitatis insigne.

Statius l. 7. Theb.

 pudicæ

pudicæ omnes eâ utebantur, pro meretrice seu projectæ pudoris fœmina, & pro prostibulo, usurpatur. Ex hac causa, si cui impudicitiam exprobrare meus erat, togam muliebrem induisse dicebatur. Apud *Martialem Pudor stolatus* dicitur, qui honestiores matronas maximè decet. Plura de hisce vestimentorum generibus & usu legantur apud *Aldum Manut. l. 2. de quæsit. per Epistol. Epist. 2. Rosin. Antiq. Rom. l. 5. c. 32. & seqq.*

Illustrium Virorum proprium.

§. 3. Non tamen cuivis sine discrimine licebat *sumere pallium*, sed *tantùm Viris iisq; Illustribus & insignioribus*, non servis, non infamibus: Eodem modo, quo apud Romanos, præter solos Viros, ut & ingenuos puerosq; nobiles, *Togam virilem & prætextam purpuram*, ut ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur, nemo gestabat. Eâdem quoque Magistratus Urbani, & Sacerdotes, & Senatores in diebus festis utebantur. Hinc prætextati dicti sunt, qui in ætate essent prætextata, i. e. puerili & Magistratu: id tamen observandum, eas qualitate clavi fuisse distinctas. *Vid. Rosin. antiq. Rom. l. 5. c. 33.* Infamibus eandem, quibus aqua & igni interdictum, gestare non licuit, asserente *Plin. lib. Epist. 4.* Insignioribus autem & honestioribus propriam fuisse togam, mutatio illa Reipubl. sub Augusto facta satis docet, ubi Republ. & Imperio labente, toga, quæ olim civibus necessaria erat, apud paucos & non nisi honestiores remansit, vulgus autem spretâ eâ abiit ad penulas, lacernas aut tunicas. *Consulatur Sueton c. 40. Iust. Lips. l 1. Elect. c. 13.*

Philosophorum propriũ. Beroald. ad lib. XI. Apuleji. Agell. l. 9. c. 2.

§. 4. Sicut Barbam alere prolixam, ita & *Pallium* gestare *Philosophi* solebant. Quare *Herodes Atticus apud Gellium* quendam barbatum barbâ usque ad pubem porrectâ, palliatumque (qui ex eo habitu philosophus videri volebat) ita taxavit: *Video barbam & pallium, Philosophum non video.* Convenienter dictum, quippe non omnis barbatus est sanctus, non omnis discalceatus integer, denique non omnis cum sacerdotali veste sacerdos: cùm sæpè sub tali habitu flagitiosissimi nequissimiq; delitescant; de quibus dici potest, dolosi homines, dolosa vestimenta.

Medicorum habitus.

§. 5. *Pallium* verò peculiarem olim *habitum* fuisse *Medicorum*, cum *Meibom. l. c.* ex multis colligimus. *Albricus Philosophus lib. de Deor. imag.* ubi de Æsculapio agit, *ejus imago*, inquit,

inquit, *erat homo quidam cum barba valdè prolixa, indutus habitu Medici.* Eum *Medici habitum Virgilius & Statius* vocant *Pæonium, à Pæone* Medico Deorum. Habitus autem hic, fuit *pallium,* ut *Cap.* 1. diximus. Quod si Clementi Alexandrino fides habenda, Medici eam ob causam Ægyptiis dicti fuerunt *παστοφόροι, seu palliolati,* aut *pallium gestantes:* quo loco etiam pallium morosius ordinatum Æsculapio tribuit; quod & *Tertullianus facit l. IV.* de pallio. Medicinam enim facturi aut opus aliquod aggressuri, pallium retorquentes, se succingebant, ne cui id ipsis esset impedimento. Unde *Virgil. l. c.* Japidem Æneam curaturum ita introducit AEneid. 12. Stat. Sylv. l. 1. Strom. l. VI.

—— —— —— —— *ille retorto*
Pæonium in morem senior succinctus amictu:

Ubi per *retortum amictum* indicat Medicis olim longam fuisse vestem. Quo spectat id *Ovid. l. VII. Metam. f.* 11. de Medea, Medicinæ perita, & Medicamina collectura, quibus *Æsonem* rejuvenescere faceret: *Egreditur tectis vestes induta recinctas.* De Synalo Annibalis Medico, Silius Ital. *l. V.*
—— *Intortos de more accinctus amictus.*

§. 6. Quod Capite præcedente de Barbâ dictum, idem ferè hîc se offert in consideratione *Pallij* sive *Vestitus Medici*; Indicat enim *Pallium,* ad eam jam ætatem pervenisse Medicum debere, in quâ & ratio & experientia maximè vigeat, ut in virili accidit: Quò citiùs autem hæc adipiscatur ad Philosophiam applicare animum necesse habet; Hâc quippe adjutus facilè ad veritatis fundum descendet, ut quæ vera quæque falsa sint, dignoscere possit. *Quapropter sapientiam i. e. Philosophiam,* inquit Hippocrates lib. de orn. decent. *ad Medicinam, & hanc ad illam transferre oportet. Medicus enim Philosophus, est Deo æqualis. Neque enim multa est inter ipsas differentia.* Videatur etiam *Galen. in lib. quod optimus Medicus idem sit & Philosophus.* Ubi tamen per *Philosophum* intelligimus, non eum, qui de infinito vacuo, & id genus innumeris aliis disputat, quæ loquacibus hominibus garriendi materiam subministrant, & ingenia juvenilia contentione & curiositate enervant, qualem *Galenus* vocat *Philosophum in angulo sedentem,* quia domi & in

Applicatio ad Medicum. Ratio & Experientia vigeat in Medico. Sit Philosophus.

Fuchs. in Comm. ad Gal. l. 3. de loc. labor.

 locis

locis secretioribus iste rerum contemplationibus indulget, quarum tamen in vitâ humanâ vel nullus, vel exiguus admodùm est usus: Sed eum, qui naturam corporis humani diligenter explorat, ac proinde *in Logicis*, ut inde ratiocinandi methodum, & in *Physicis*, ut rerum naturalium peritiam adipiscatur, benè sit versatus, ne facilè à vero aberret; hoc tamen discrimine, ut eâ non consideret propter se & veritatem, qui finis est scientiæ: sed propter opus, ut scil. mederi possit, nempè quomodo sanitas præsens sit conservanda, & amissa recuperanda. Juxta illud, *ubi desinit Philosophus, ibi incipit Medicus.*

Argenter. Comm. 1. ad Galen. art. Med.

Vestitus Medici. Hip. de Elegant. Gal. 6. Epid. sect. 4. com. 9. Hipp. l. de Medico. Castitas.

§. 7. *Castitatis* quoque admonetur Medicus per pallium, & ἐυσχημοσύνης, *vestitusq; decori*; qui, ut *Hippocrates* monet, *non tàm ad superfluam curiositatem, quàm optimam existimationem & animi moderationem sit comparatus*; *neque plus justo sumptuosus, ut arrogantiam præ se ferat, neque nimium vilis, aut sordidus. Quærit enim æger, non quod visui arridet, sed quod prodest.* Cùm verò cum mulieribus nuptis & innuptis assidua sæpè sit Medico consuetudo, & res ipsi multùm occurrant pretiosæ, in his omnibus temperantem esse oportet: prout *Hippocrates in jure jurando* monet; *Castam*, scribens, *& ab omni scelere puram, tùm artem, tùm vitam præstabo: Et quascunq; ædes ingressus fuero, ad ægrotantium ingrediar salutem, alienus ab omni injuriâ voluntariâ & corruptela, cùm aliàs, tùm præsertim rei venereæ, in corporibus mulierum &c.*

CAP. V.
De Baculo Æsculapij.

§. 1.

Baculus Aesculapii. Ovid. Metam. l. 15. Alex. ab Alex. in Genial. dier. l. 1. c. 28. Pier. Hierogl. l. 29.

QUo magis autem adnotaretur, quanti facienda sit Medicina ac Medicus, dicatus etiam ei est *Baculus*, isque *nodosus* sive *agrestis* circumvolutus serpente; eo modo, quo *externorum Regum sceptra in summo ciconiam, in imo hippopotamum habebant: quo argumento Regem justitiæ obsequi debere, atq; feritatem & indomitas libidines, ne ira desæviat, emollire significabant: Quod ciconia summa pietatis, hippopotamus violentissimum foret animal.*

§. 2. Regius

Regium insigne. Artem. l. 2. c. 3

§. 2. Regius proinde est habitus *Æsculapio* à priscis assignatus; Artemidorus enim definiens regium ornatum, ait, τετ᾽ ἐςὶ, διάδημα, καὶ σκῆπτρον, καὶ ἁλλουργὶς, h.e. Diadema, & sceptrum, & purpura. Sceptri autem loco fuisse vel id indicare potest, quod ***Lucius in floridis*** scribit, ***peram & baculum Philosophis Cynicis hoc esse, quod Regibus diadema, quod Pontificibus galerus.*** Unde ***Diogenes*** baculo vice sceptri gloriabatur. Neque enim ubivis locorum Reges sceptra gestabant, sed pro diversitate gentium, variabant quoque insignia Majestatis. Lydiæ namque Reges, ***sceptri loco*** habuerunt ***securim.*** Romanis verò Regibus ***lituus*** cuspide incurva, qui etiam virga auguralis erat, ***sceptri loco*** est habitus. Qua de re consul. ***Liv. l. 1 decad. 1. Agell. l. 5. c. 8 Macrob. Saturnal. l. 6. c. 8. Rosin. Antiq. Roman. l. 10. cap. 29.***

Plutarch. probl. c. 158. Cicer. l. 1. de Divinit.

Imperantiū proprium. Herodot. l. 1.

§. 3. Non tamen omni tempore veteres sceptra gestabant, (exceptis Babyloniis, qui tanto studio sceptra prosequuti sunt, ut extra domum sine sceptro prodire aut conspici nefas ducerent) sed ferè saltem cùm jura populis dabant: Sic enim ***Apollon. l. 4. Arg. de Alcinoo*** scribit,

—— ἐνθ᾽ ὅγε χειρὶ
Σκῦπτρον ἔχεν χρυσοῖο δικασπόλον, ᾧ ὑπὸ πολλοὶ
Ἰθείας ἀνὰ ἄςυ διεκρίνοντο θέμιςας.

Ubi ipse manu tenebat aureum sceptrum ad judicia, sub quo multi æqua per urbem dijudicabant jura. Hinc summè venerabantur tùm sceptrum ipsum, tùm eos qui dirigebant sceptra; juxta illud ***Iasonis*** adversus ***Peliam*** Regem; ***Nec verò angunt me hæc domum tuam valdè amplificantia: Sed sceptrum Monarchicum, & solium, cui olim Cretheides insidens equestribus populis dirigebat jura.*** Sciebat enim Regibus longas esse manus, eorumque sceptrum valere adversus insultantes, quare nil audebat movere. Baculum autem defensionis loco fuisse, argumento est illud: ***Psalmo 2. Virgâ ferreâ***, h.e. sceptro ferreo, ***confringes eos.*** virga namque in sacris sæpè ponitur pro sceptro. Vel id ***Cleomenis Atheniensium*** ducis, qui cum propter omnium in se odium insanus est effectus, baculo se adversus insultantes muniverit.

Pindar. Pyth. od. 4.

Pier. Hieroglyph. l. 4.

 §. 4 Ba-

Medicorum imperandi potestas.

§. 4. *Baculus* ergò primùm *imperandi potestatem* innuit, quam Medicus in ægros, adstantes, artisque ministros, Pharmacopœos, Chirurgos, barbitonsores, scarificatores, rizothomos & alios habet. *Galenus* enim libro *an ars ὑγιεινὴ ad Medicinam pertineat? cap.* 44. scribit, Medicinam & maximè partem ejus ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικὴν, artibus aliis, veluti quandam architectonicam ac principem præesse: præcipiendo, non quidem quid, aut quibus organis operari debeant, sed quomodo agere teneantur, ut præsens sanitas conservetur, & amissa restituatur. Et *Plinius l.* 24. *c.* 1. Medicinam tantam habere potestatem asserit, ut artium unam Imperatoribus imperare dicat.

Medicinæ dignitas.

§. 5. Deinde idem baculus, dextrâ manu ab *Æsculapio* gestatus, in memoriam nobis revocat, *Medicæ artis dignitatem atque excellentiam* tantam esse, ut Reges & Principes, qui sceptra gestare solent, eam colere, augere, exercere, magnoque in honore habere, non fuerint dedignati. Id quod exemplis *Constantini IV.* Pogonati, Imperatoris Constantinopolitani. *Evacis*, Regis Indiæ, Jubæ, Regis Mauritaniæ, *Zamolxidos*, Regis Thraciæ, aliorumque plurimorum, quorum nomina silentio involvimus, demonstrari potest: Longum tamen catalogum horum reperire licet apud *Tiraquellum de Nobilit. c.* 31. Ubi & refert nec *Angelis*, nec *Sanctis* & *Apostolis*, imò nec *Iehova* vel *Salvatori* nostro displicuisse, vel Medicis se æquiparare, vel eandem artem factitare. Hinc apparet, quantum à veritatis viâ recedant illi, qui artem medicam servilem, & primos medicos servos faciunt, quam sententiam acerrimè defendit *Rosinus*, & pro eâdem sententiâ allegati ab eo authores, tùm historici, tùm JCti. *Tiraquellus* verò *l. c.* ut his subtilior ac Medicorum fautor videatur, scribit, *& servos liberalibus artibus erudiri posse*, quod multis illustrat exemplis, sed his ipsis apertè prodit mentem suam. Quia tamen opinio hæcce jamdudum satis est refutata, velut ab *Obicio in lib. de dignit. Medici*, & *Berneggero*, aliisque; ideò hîc non erimus prolixi: id tamen dicere placet, I. eos confundere primam Medicorum ætatem, cum sera servorum ætate. II. Abuti nomine *Medici*, servi enim illi non fuere Medici, nisi quis *tonsorem* & *Medicum*, vel

Non est servilis ars.

Antiq. Rom. l. 2. c. 17.

ad Sueton. Cæs. c. 42. Iul. Alexand. de Medic. l. 3. p. 177.

vel *rabulam* & ICtum eosdem putet, sed *Iatrolepta* ac *Medicastri*, quales hodie sunt Empyrici, Pseudomedici, balneatores, fabri &c. qui si interrogantur, utrum & à quibus artem didicerint? non verentur respondere se non didicisse, sed invenisse, scil. ex receptis seu schedis Doctorum in taberna medicamentaria; verùm hoc eorum *invenire* potiùs vocares *furari*, & eos idiotas, Medicos, non nisi cum adjectione literæ R. inter E. & D. III. Obstant dignitates, præeminentiæ, immunitates & privilegia Medicis concessa in Jure, quod servos rejicit, ut patet *in l. inter eos. §. ult. ff. ex quib. caus. maj. & in leg. si duas. § Grammatici. & l. Sed & reprobari. ff. de excu. tut. & in l. ult. ff. de muner. & honor. & in l. 2. C. qui non ob long. temp præscr. & in l. 1. C. de decr. decur. l. 1. & in l. 10. & in l. Medicos. & in l. Archiatri. &c.*

§. 6. Dicatus quoque *Æsculapio* est baculus, quia *Medicina est fulcimentum* quasi *vitæ humanæ* sensim labantis: Vires quippe, & per has sanitatem, conservare, est vitam conservare. In Sacris etiam baculum consolationis, auxilii & sustentationis signum deprehendimus, juxta illud Davidis Ps. 23. *Virga tua & baculus tuus consolata sunt me.* Medicina fulcimentum vitæ. Galen. l. 9. meth. c. 10.

§. 7. *Baculus* autem fingebatur *nodosus*, ut & artis Medicæ *difficultas*, & curarum quæ gerendæ, gravitas, & morborum, causarum morbificarum ac symptomatum, quæ curandà, multitudo; & remediorum, quibus in curatione utendum, copia; & circumstantiarum, quarum in praxi diligens habenda est ratio, varietas, Medicinæ addictis constitueretur ob oculos. Quo respicit *Hippocrat.* noster *aphor.* 1. *sect.* 1. *Vita*, inquiens, *brevis, ars longa, judicium difficile.* Valdè itaque hallucinantur Methodicæ sectæ defensores, qui tàm difficilem artem intra sex mensium spatium totam promptissimè perdisci posse asserunt, & à solis pathematis remedii indicationem petunt; affirmantes, laborantem locum ad curationis indicationem nihil prodesse, neque etiam ætatem, neque tempus, neque regionem, neque virium ægrotantis inspectionem, vel naturæ, vel ipsius habitus, neque consuetudinem, neque dissectionem. Sed de his hoc judicium ferè Laurentius Fries in dem Spiegel der Artzney/ solche/ inquiens, Methodici wissen nicht/ was kalt oder.

Medicinæ difficultas. Methodici taxantur. Fuchs. Instit. med. l. 1. c. 1. c. 8.

Digitized by Google

oder warm ist. 2c. Ad hos proximè accedunt illi, qui promittunt, intra anni ferè spatium se alios ad summum Medicinæ gradum diligenti informatione esse perducturos; Sed verendum est, ne Medici Nilli promittant Medicos, prætereaq; nihil. Hinc conqueritur eruditio vera, *negligor à multis, curant mea semina pauci*; *nunc emitur magno, nil nisi scire nibil*! Aber / was hilfft die Soñ/Tag/Kertz und Brill/dem der kurtzumb nit sehẽ will.

Cap. VI.
*De Serpente baculo Æ*sculapij *circumvoluto.*

Serpens AEsculapii. Voss de orig. & progr. Idolol. l. 4. c. 52. 53.

SErpentis nomen generale est, multas serpentum species sub se comprehendens, ut *Draconem, viperam, aspidem, natricem, hæmorrhoum, amphisbænam, Cerasten, Basiliscum, Caciliam, &c.* His autem omnibus exclusis hujus loci intelligimus vulgare genus serpentis; id nempe *animal reptile, astutissimum, venenosum & homini infestum*, singulis annis exuvias suas bis exuens, vere scil. & autumno, hyeme sub terra & præcipuè sub radicibus arborum (Betulæ & Coryli) sopitum quiescens. Genera & icones serpentium, cernere licet in appendice elegantissimi simul & doctissimi istius discursus Medico Philosophici, habiti, *à D. Melchiore Sebizio, Præceptore nostro Venerando*, super casum adolescentis Argentoratensis mirabilem Ann. 1617. 8. April. qui à serpente est strangulatus.

Cur AEsculapio serpens tribuatur? Opinio I.

§. 2. Quare autem serpens assignetur *Æsculapio*, variè explicatur ab Authoribus. *Hyginus in Astronomico*, de baculo & angue, ita *in Ophiugo* scribit: *Cum Æ*sculapius *Glaucum cogeretur sanare, inclusus quodam loco secreto, bacillum tenens manu, cum quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad baculum ejus arrepsisse: quem Æsculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem sæpiùs feriens. Postea fertur alter anguis eodem venisse, ore ferens herbam, & in caput ejus imposuisse: quo facto, loco fugisse: quare Æ*sculapium *usum esse herbâ eâdem, Glaucumq;*
II. *revixisse; itaq; anguis in tutela Æ*sculapij *esse dicitur. Alij* existimant ideò fieri, quia Æsculapius sub forma serpentis pluribus in locis colebatur, & sub eâdem formâ Romæ apparuit.

Alij

Digitized by Google

Alij volunt, quia Sol, è quo ipse nascitur, quasi senectutem deponens, incipit à principio Arietis vires resumere, donec ad Cancrum perveniat, atque cum illo multa & herbarum & animalium genera vires resumunt. Hoc *alij*, tanquam salutis signum, *hieroglyphικῶς* exponentes, per anguem ipsum hominem ostendunt juventuti redditum, si vel de morbo aut aliâ aliquâ lue aut calamitate, squallorem atque maciem ope medicâ deposuerit, sitque validior redditus: Non aliter ac serpens vere & autumno, postquam deposuit senectam. Hoc enim peculiare habent serpentes, cum locustis tamen & cancris marinis commune, præ cæteris animantibus, quod quotannis cutem vel cuticulam exteriorem, quæ etiam dicitur *spolium*, (græcè λεβηρίδα inde parœmia) *senium*, *exuvia*, deponant. Modum exuendi describit *Tertullianus lib. de Pallio.* hoc modo: *Serpens quod sortitus est, convertit corium & avum, siquidem ut senium persentit, in angusta se stipat, pariterq; specum ingrediens, & cute egrediens, ab ipso statim limine erasus, exuviis ibidem relictis novum se explicat.* Sic & Plinius: *Anguis,* inquit, *hyberno situ membranâ corporis obductâ, fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusq; vernat. Exuit autem à capite primum, nec celerius quàm uno die ac nocte replicans, ut extra fiat membrana, quod fuerat intus.* Quoniam autem *Æsculapius* præfuit divinationibus, *alij* ideò factum putant, ut gerat serpentem, nam & ex ipsis auspicia captabantur: *Mala*, si serpens extis solennibus depastus, ut patet exemplo *Gracchi,* de cujus sacrificiis serpentes jecur edere, ipse autem à *Flavio* inermis occisus est. *Bona*, ubi serpens visus tantum inter sacrificandum, sed rursus intactus extis est elapsus, & hoc modo *Sylla* felicem victoriam indicavit serpens. *Alij*, quia plurima petuntur medicamenta à serpentibus, inter quæ tamen multa occurrunt fabulosa. Utimur autem I. serpentibus vel integris combustis, vel siccatis & pulverisatis, quale est *Bezoardicum animale simplex*, è quo fit *compositum*, quo remedio utitur *Unzerus* ad Araneas vivas & ♀. non verò ad pestem curandam: Et horum usus esse potest *internus.* Usus *Externus*: *Pinguedo* emollit strumas, oculorum rubedini & maculis medetur, visum acuit, podagricos dolores mitigat. *Exuviæ* usus principalis

III. Com. Natal. Mythol. l. 4. c. 11.

IV. Pier. hierogl. l. 13.

Macrob. Saturn. l. 1. c. 20. Plin. l. 29. c. 4.

Exuvia serpentis.

Natur. hist. l. 8. c. 27. Aristot. hist. anim. l. 8. c. 17

V.

Liv. l. 5. dec. 3. Val. Max. l. 1. c. 6.

Cic. l. 1. de Divinat.

VI. Schrœd. in pharmac. l. 5. class. 1. c. 33. de peste p. 195 Plin. l. 29. c. 6.

F

palis

palis est ad partum difficiliorem promovendum, idque arcanâ virtute præstat, fœmori alligata, quidam volunt lumbis aut ventri. Plura petantur è *Plinio*, *Schrœdero* & aliorum *Pharmacopœis*.

Quæstiones de exuvia.

§. 3. Cùm hîc sæpiùs mentio facta *exuviæ serpentis*, placet hic brevissimis apponere quæstiones de eâdem motas à *Viro Nobiliss. & Excellentiss. D. Ioh. Alberto Sebizio, Patrono, Promotore, ac Præceptore meo nullo non honoris titulo venerando, ac Disputationis hujus Præside dexterrimo*, tùm apud sectionem solennem, habitam Anno 1669. circa finem Februar. in discursu elegantissimo de cuticulâ humanâ, tùm, in lectionibus publicis de *simplicibus medicamentis*. Prima erit:

Cur senectam exuere dicantur, si quando eam deponunt?

Resp. Appellari cuticulam serpentum senectam per aliquam ἀναλογίαν. Quemadmodum enim senectus frigida est, sicca atque rugosa: pari ratione senecta sese habet serpentum, quæ progressu temporis siccior reddita, rugas contrahit, & indurescit.

II. Cur tantùm serpentes abjiciant cuticulam?

Resp. Fieri hoc propter frigiditatem & siccitatem ejus. Nam cùm serpentes sint animalia frigida: semperque siccior hæc evadat senecta, decuit omninò illam abjici, ne durior, densior crassiorque evaderet, atque sic tùm cutis subjectæ sensum hebetaret, tùm motum eorum, quem per spiras agunt flexusè, progressu temporis impediret.

III. Cur eam quotannis bis deponant, Vere scil. & Autumno?

Resp. Binis vicibus in anno deponere senectam serpentes, quòd duplex causa concurrat & accedat ad indurandam, & siccandam cuticulam, frigus scil. hyemis & siccitas æstatis: idéoque

Digitized by Google

ideóque Vere & Autumno eam exuunt: Vere quidem propter frigus hyemis, quod præcessit, & induravit, tùm etiam propter necessarium motum ac flexum, quem totâ æstate debent obire. Autumno autem tùm propter siccitatem squaloremque æstatis, qui præcessit & induravit, tùm propter circumplicationem, in quâ tota hyeme consistunt, quæ requirit totius corporis flexibilitatem, ut se latibulis sepiant, & contingant sese, conjunganturque mutuò partes.

IV. *Cur id operis unius diei spatio perficiant?*

Resp. Unicâ die ac nocte exuere cuticulam, quia naturæ instinctu properant, ne cùm in deponenda senecta sint occupati, aut alimenti defectu laborent, aut in ea re irretiti, noxia vitare non valeant.

V. *Cur à capite incipiant?*

Resp. 1. Tùm quia capiti tenacissimè adhæret. 2. Tùm ob figuram capitis, quæ difficiliorem reddit detractionem. Tùm 3. quia hâc ratione citiùs sese expediunt. Nam exuto capite, reliqua cuticula facilè & citò sequitur. Quod si contrà fieret, h. e. à cauda ordirentur, accideret omninò, ut universa cuticula ad caput & oculos circumplicaretur, & suffulta colligeretur, neque facilè ab ea extricaretur, idque cum effatu digna visionis noxa. Hùc accedit, quoniam cùm moventur antrorsum, & vicinis niti debeant corporibus, opus est, ut hoc in negotio adjuventur, sic enim res non succederet, si à cauda inciperent: itaque sese juvare non possent, cùm retrorsùm naturaliter non moveantur.

§. 4. Præter allata hactenus de *Serpente Æsculapij*, tria adhuc occurrunt, Medico à serpentibus mutuanda. I. *Prudentia*, de qua Salvator noster ipse testatur, cùm præcipit, quod simplices debeamus esse, ut columbæ, prudentes autem ut serpentes. Insidiis enim petiti serpentes, & verberibus excepti, totum quidem corpus verberanti objiciunt, at caput solummodò occultant,

Prudentia serpentum.

D. Melch. Sebiz. in Explic. Emblem. Spec. Medic.

occultant, quoniam eo illæſo, inflictas plagas facilè ſanant.
Amor. II. *Amor* in ova ſua, de quo Naturæ ſpeculatores tradunt, adeò flagrantem illum eſſe, ut etiam in ignem conjecta matrem ad ſe pelliceant, ſi odorem eorum perceperint.
Providentia. III. *Providentia* eorum, quæ exinde elucet, quòd imminentem peſtem, terræ motum, aëris ſalubritatem, frugumque & fructuum ubertatem præſentire dicuntur.

Medicus ſit prudens. Gal. 8. meth. c. 9. §. 5. Itaque Medicus ſerpentem imitari debet *Prudentiâ*, ut nimirum conſulat & agat ea, quæ ad recuperandam ægri ſanitatem ſunt utilia & neceſſaria. Hoc autem præſtat, ſi nihil cœco quodam impetu, auſuve temerario præſcribat, ſed cautè, providè & circumſpectè procedat: & ad ægrum vocatus, primò omnium ſpeciem morbi, morbi cauſam, partemque affectam diligenter exploret: deinde indicationes inde, quæ methodicæ & dogmaticæ methodi medendi fundamenta ſunt, hauriat: tùm quid agendum, & quibus remediis utendum ſit, diſpiciat: tandem de legitimo illorum uſu deliberet: & quando, quantum, quomodo, ac ubi agendum ſit, conſideret: habitâ accuratâ circumſtantiarum, virium ſcil. ætatis, ſexus, regionis, anni temporis, conſuetudinis, præcedentis victus, & ſimilium aliarum ratione.
Gal. de loc. aff. c. 1. 2. 5. Id. l. 10. meth. c. 6. Id. 1. regim. acut. com. 3. Cicer. c. 2. de orat. Hipp. ſect. 1. aph. 2.

Id. lib. de loc. aër. & aq. Anton. Siccus de opt. Med. p. 16. Amet ægros. §. 6. Sed & *amare* ſuos debet *ægrotantes*, non ſecùs ac ſerpentes ſuos fœtus & ova: eorumque ſanitatem pro fine & ſcopo omnium ſuarum actionum præfixam habere. Sic enim illi libentiùs ac promptiùs morem gerent, &, ut *Hippocrates in frontiſpicio prognoſticorum* loquitur - confidentiùs ſe illi committent.

Sit providus. Gal. de dieb. crit. c. 11. & 1. præſag. com. 1 §. 7. *Providentiam* quod attinet, docet *Hippocrates l. c.* optimum ſibi videri, ut medicus eam ſibi habeat commendatam. Nam artis præſagiendi peritus, multo ante tempore ſe parabit, quo impendentibus malis corporis maturè obviam eat, adeóque vitia imminentia arcebit: quorundam verò magnitudinem inhibebit: in ſumma, pericula, perinde, ut peritus navium gubernator, futurâ tempeſtate avertet: aut ut *Hippocratis* verbis *l. c.* utamur, ut *mentis acie prænoſcat*, τάτ' ἐόντα, τάτ' ἐσσόμενα, καὶ πρότ' ἐόντα, *i. e. præſentia, præterita, & futura.* Remediorum prætereà authoritatem conſervabit: eò quod iis ſolùm
Hip. epidem. l. 1. Homer. l. 1. Iliad. Virgil. l. 4. Georg.

Digitized by Google

lum in ægris usurpaturus ea sit, quibus illa profutura prævidet: Missa contrà facturus in illis, quos morituros prænoscit, ne ipsa infamet: memor consilij *Galeni*, dicentis, *in quibus desperata omninò salus est, imprudentis est Medici, apud plebejos & idiotas infamare præsidia, quæ multis, qui sanari potuerunt, saluti fuerunt.* Denique, vulgi calumnias & morbis crimen, quod illi ab imperitis, & rerum medicarum prorsùs ignaris, imputari potest, facilè evitabit. l.11. meth. c.9.

Caput VII.

De Pomo Pini.

§. 1.

Est *pomum Pini*, juxta *Sperlingium*, *nux magna, ponderosa, compacta, oblongis intus nucleis duro & crasso putamine obductis, dulcibus ac temperatis.* *Theophrastus* scribit, *esse pilulam figurâ oblongam, multis incisuris asperam*; qualis & reperitur in larice, abiete &c. *Tabernæmontanus* ait: Des Fichtenbaums seine Zapffen oder Zirblen seyn groß / auß vielen dicken harten und holtzechten Schupen zusammen gepackt / unter welchen die harte holtzechte Nussen stecken / in welchen inwendig ein süsser / weisser / länglichter Kern ligt / mit einem dünnen häutlin überzogen. Videatur etiam *Rondeletius*. Quidditas Carpoleg. c. 8

§. 2. Nuclei *Pini* dicuntur, *Græcis* Στρόβιλοι, κῶνοι ac κόκκαλοι. *Latinis* Nuces Pineæ veteribus conaria. *Germanis* Zirbel-nuß. Malè à *Sperlingio l. c.* Dann-zapffen. Licet enim & *Abies* producat conos quoad externam figuram Pineis Conis similes, nuclei tamen in ipsis non reperiuntur, imò & ipsæ arbores toto cœlo differunt. Nuclei Pinei.

§. 3. Arbor pomum hoc producens dicitur *Pinus*, tota resinosa perpetuâque fronde virens. Estque duplex *sylvestris* simpliciter pinus dicta, exiguos saltem fructus vel nucleos ferens: & *Pinus Italica*, quæ hos profert fructus, de quibus nobis sermo. Aliàs dicta *Pinus domestica, sativa, vulgatissima.* Arabicè *Sonabar*. Germanicè Fichtenbaum / Foren- oder Hartzbaum. Eucharius Rößlin in seinem Kräuter-buch f. 77. Pinus. Trag. l. 3. c. 76

schreibet; Der Biech-tannenbaum/ an welchem die edle langt süsse Zirbelnüßlein wachsen / auß welchen der Zucker-Penit gemacht wird/ ist der rechte pinus. Sed fallitur author; *Saccharum* namque *penidium* fit ex alio saccharo per clarificationem cum albumine ovi. Hinc colatur ac inspissatur lentè, donec bullæ magnæ apparuerint. Hinc retrahitur ab ▽, ut bullæ resideant, effunditurque in tabulam oleo Amygd. illitam, atque ubi nonnihil induruerit, de unco suspenditur, manibus celeribus (amylo conspersis) distrahitur in formam debitam, & reponitur.

Wecker. antid. Spec. l. 2. c. 43. Schrœd phar mac. l. 4. clas. 2

Locus natalis

§. 4. Nec ubique provenit *conifera* hæc *arbor*, sed in *Alpibus* maximè versus *Italiam*, hinc *Lonicerus* scribit, Es wächset der rechte Fichtenbaum in den Alpen des obern Teutschlandes/ umb das ort/ Wallis genant/ gegen Welschland / und sonderlich umb die Statt Ravenna der zahmen ein grosse Zahl/ und machen unsern von dem Ufer des Adriatischen Meers ein gantzen Wald.

Herbar. part. 1. c. 42. edit. per Uffenbach. Trag. l. 3. c. 76

Succinum an ex arbore Pini profluat?

§. 5. Tradit *Plinius*, succum istum terræ bituminosum, Ἤλεκτρον Græcis, *Ambra* Persis, Gallis & Italis, *Succat* Ægyptiis, *Carabe* Arabibus, *Succinum* Latinis, item *Glessum* Paracelso & *Resina terræ*, **Agstein / Bernstein / Gentar / Gleß und Glesum** / Germanis dictum, *profluere ex arbore Pini & ejus medulla*, ut Gummi in cerasis, erupti autem humoris abundantiam densari rigore vel tepore autumnali, cum intumescens æstus rapuit ex insulis, certè in littora expelli, ita volubile, ut pendere videatur atque considere in vado. Cui consentit *Solinus Polyhistor*, & *Tacitus de mor. Germ. c. 45. v. 67.* Veriorem tamen judicavit, *Nobiliss. Dn. D. Præses in lection. de simplicib.* eorum sententiam, qui dicunt, pinguem esse terræ succum, seu oleum bituminosum effluens è mari, quod postea indurescit vel à subterraneo calore pinguedinem hanc in spiritus resolvente in littore maris Baltici flantibus ventis aquilonibus.

Plin. l. 37. c. 3.

Salmas. in exer. Plin. p. 234 & seqq.

§. 6. Fructus arboris, de quo nobis sermo, *Pomum* dicitur, quod vocabulum hodie, judice *Salmasio* idiotismo nostro de sola specie usurpatur, **ein Apfel** / quem fructum antiqui Latini dicebant *malum*, ad contradistinctionem pyrorum, & *pomum* πάντας ὀπώρας, illa itaque est stricta, hæc latior acceptio, quam

Exerc. Plin. p. 598.

Digitized by Google

quam etiam agnoſcit *Scaliger*, licet inconvenientiſſimè ab arguto & ſubtili rideatur *Sperlingio* : Nuces itaque poma ſunt mala non ſunt. Unde *Macrobius*, *ſunt*, inquit, *de agricultura ſcriptores, qui nuces & mala ſic dividunt, ut nuces dicant omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat, quod eſui eſt* (ut noſtrum pomum pini) *Malum verò quod foris habeat, quod eſui eſt, & durum intus includat.* Carpol. l. 1. c. 22.

§. 7. Vires & qualitates quod ſpectat nucleorum, temperati ſunt & humidi; maturant, leniunt, humectant, agglutinant, reſolvunt, modicè abſtergunt, impinguant, unde ad aſperitatem faucium conducunt, pituitoſum humorem bronchiis pulmonum impactum ad eductionem aptum reddunt : quare tuſſientibus, phthiſicis, ſtranguriâ laborantibus admodum proficui : ſegnem excitant venerem, ulcera renum mundificant &c. In hunc finem parantur ex eis emulſiones. Aptantur quoque confectioni Tabulatorum & morſellorum cum piſtaceis & nucl. amygd. delibratis.

§. 8. Quantum ex dictis colligere licet, ut propiùs ad inſtitutum accedamus, pomum pini ſubſtantiam habet geminam: Externam, quæ dura, aſpera, & ex multis quaſi ſquamis conflata; & internam ipſum videlicet nucleum pineum, qui ſuaviſſimus eſt, eſuique valdè aptus : cujus nomine etiam inter delicias ſecundarum menſarum recenſetur, & ut palato ſapiat magis, ſaccharo obducitur.

§. 9. Itaque *ex parte ægri* ſignificat, multas illi quandoque in curationis actu moleſtias devorandas eſſe : iis autem deglutitis, ſanitatis, quam Plutarchus maximè divinum longéq; ſuaviſſimum vitæ condimentum vocat, participem fieri. *Ex parte verò Medici* indicet, duros quidem illi plurimosque labores in facienda Medicina exantlandos eſſe, priusquam dulciſſimo eorum fructu, honoribus ſcil. & præmiis perfrui queat. Habere igitur oportet illum, qui non vulgarem ſed ſolidam accuratamque literarum ſcientiam ſibi comparare ſtudet, tribus iſtis in proverbio trito contentis dotibus, eſſe inſtructum; *Ferreo nimirum capite*, h. e. validis firmisque viribus præditum, ut juges ac indeſinentes ferè meditationes & ſcriptiones citrà jacturam ſanitatis tolerare queat: quibus enim caput debile eſt Tria ſtudioſorum requiſita.

atque

Digitized by Google

atque infirmum, studiis assiduè, & prout interdum necessitas flagitat, diurno scil. & nocturno tempore, invigilare non possunt. Caput enim, & cumprimis in eo contentum cerebrum, ejusmodi studiorum laboribus debilitatur, ut Musarum chartis jugiter addicti catarrhis, qui plurimorum affectuum fontes sunt uberrimi, pallore faciei, cephalalgia, vertigine, obscuritate visus, hebetudine auditûs, totiusque corporis infirmitate laborent. *Aureâ* quoque *crumenâ* desideratur, quoniam uno in loco neque videri, neque cognosci omnia possunt, necesse hinc est, ut peregrinationes suscipiantur, & exteris in Academiis studia continuentur, quæ certè sine auro atque argento peragi nequeunt; *haud* namque, inquit Poëta, *facilè emergunt, & felicem studiorum finem assequuntur, quorum virtutibus obstat res angusta domi.* Denique *plumbeas*, honos sit animis & auribus, *nates* habeat, nimirum ut sedendo, legendo, meditando, scribendoque, doctorum Virorum monumenta sedulò, attentè & constanter, diurnâ nocturnâque manu volvantur, nec rebus vanis & inutilibus indulgeatur. *Non enim*, monet vetus distichon:

— jacet in molli veneranda scientia lecto,
illa sed assiduo parta labore venit.

CAP. VIII.
De Noctua Æsculapij.

§. 1.

Onomatologia. Pier. hierogl. l. 20. f. 146.

GRæcis avis hæc dicitur γλαύξ, à clauco vel cæsio oculorum colore, quo qui præditi sunt, præstantioris acutiorisque ingenii esse feruntur, vel propter lucubrandi contemplandique munus, quòd animi vis nocturni potissimùm temporis silentio vegetatur. *Latinis* vocatur *Noctua*, quia noctu potissimùm volat.

Cur noctu volitet? Metam. l. 2. f. 9.

§. 2. Cur noctu ferè solùm volitet, indicat *Ovidius*, quod nempè *Nyctei Regis Lesbi* filia, quæ patris amore capta, incesti pœnas dederit, inque noctuam mutata sit; hinc

— — avis illa quidem; sed conscia culpæ
Conspectum, lucemq; fugit, tenebrisq; pudorem
Celat, & à cunctis expellitur æthere toto.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc fabulosa; subest *ratio physica*, hæc scil. quia lumen solare visum disgregat, quòd tenebræ congregant. Nec tamen vel æque videt de nocte, vel pariter cæcutit de die. Minutum est quod videt meridie; quia pauci, quos habet, spiritus discutiuntur, ac dissipantur: nihil est quod videt nocte intempestivâ, ac illuni, quia aëre non illuminato nihil cernitur, hinc & accessu hominis non movetur. Sed benè videt diluculo & crepusculo, quia tum lux est moderata. Voss. Theol. gentil.l.3,c.81

§. 3. *Noctuæ* infensæ sunt aves, præsertim minutarum civium omne genùs, eamque circumvolant & vellunt cum Pipatu: Magnam autem Deus *solertiam* indidit huic avi contra conantes ipsam deplumare, ut majore circumdatâ multitudine, resupina pedibus repugnet, collectaque in arcum rostro & unguibus tota tegatur. Noctuæ solertia. Plin.l.10,c.17

§. 4. Omina quoque Ethnici captabant ex avis hujus volatu & cantu. Nocturnus tamen cantus, aut occursus homini ad seriam actionem accedenti, inauspicatus habebatur. Cui rei testimonio fuit *Pyrrhus Epirotarum Rex*, in cujus hasta, cùm *Argos* proficisceretur, quam erectam ferebat, noctua consedit: Nam *Argos* ingressus, valdè ingloriâ atque ignobili morte occubuit, saxo scil. aut, ut *Plutarch. Pausan. Strabo & Ovidius in ibin.* tradunt, κεραμίδα h. e. tegulâ, vel, ut *Probus* vult, lapide de muris ictus. Nostri Germani adhuc hodie ominosam credunt noctuam; unde ægrotis, quibus noctu candela servatur, plerunque avis huic cognata ad fenestras advolat, & cantu suo **Jwick** terrorem incutit, quasi ægri sint morituri, & nominant **das Weckvögelin.** Quò spectat illud *Architremij* Poëtæ, Noctuæ volatus omen malum. Pier. hierogl. l. 20. f. 147.

—— —— —— *prænuntia fati*

Noctua præcedit properanti morte propinquos.

Sed hæc aniles sapiunt fabulas.

§. 5. Non semper autem malo omine fuit, nam, ut *Hesichyus* memorat, ante pugnam prætervolans omen est victoriæ: & quemadmodum *Aristophanis* Scholiastes refert, *Atheniensibus* olim, cùm bellum cum barbaris gererent, per exercitum eorum volans, victoriam præsagiebat. Hinc proverbium apud ipsos natum, γλαὺξ ἵπταται vel ἵπτατο, *Noctua volat, sive volavit*; cùm profligatos hostes & subsequutam victoriâ innuerent. Bonum omẽ. Plutarch. in simil. ref. Erasm. adag. 76. cent. 1. Pier. l. c.

Medicus vigilans.

§. 6. Docet ergò ejus imago, Medicum debere esse vigilantem, & noctu etiam studiis incumbere, ut de affectibus, quos interdiu apud laborantes habuit curandos, possit cogitare diligentius, & ex practicorum monumentis cognoscere, quo pacto illis sit medendum. Spem quoque facit, fore, ut Medicus felicem suæ praxeos habiturus sit successum, ac de morbis victoriam reportaturus, si illis requisitis fuerit instructus, quæ per res *Æsculapio* attributas fuerunt designata.]

CAPUT IX.
De Cane Æsculapij.

§. 1.

Sperlin. Zoolog. p. 15.

QUemadmodum bruta rationis expertia umbram habent ac vestigium rationis: ita & iis insunt multæ virtutum imagines ac simulacra: ut *Tullius 2. de finib.* jure statuat, *bestias esse specula naturæ.* Quæ enim homines agunt beneficio rationis, ea bestia instinctu faciunt naturæ, ut multos etiam superent homines. Aliis bestiis omnibus omissis, *Canes* exemplo sint, de quorum virtutum simulachris, aliqua saltem (nostro scopo inservientia) in medium proferemus.

Canes noscũt dominos. Plin. l. 8. c. 40. Ovid. l. 3. Metam. f. 2.

§. 2. Inter alia *dominum suum apprimè noscunt*, ita ut, si inter multos dimicantem cernant, illæso Domino, cæteros latrando mordendoque penitus persequantur, ita ut lædi non possint domini, nisi cane interempto. Hinc *Actæon* à *Diana* in cervum mutatus, à canibus persequentibus eum, cùm cognosci non poterat, clamabat; *Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum.*

Amant & fideles sunt.

§. 3. Non est tamen, cur miremur hoc, quoniam à naturâ singulari instructi sunt *amore* in dominos suos, qui radix & fundamentum est summæ, quæ reperitur in canibus, *fidelitatis*, post mortem domini etiam adhuc vigentis. *Florentio* quippe *V. Hollandiæ Comite* à *Gerardo Velsio*, & conjuratorum aliis, interempto, canes duo venatici cadaver custodiêre: etiam cùm navi imponeretur, Alcmariam deferendum, primi in eam insilierunt:

Aemil. Stock. in Chronic. Holland. rhythmico.

erunt:

erunt: adhæc, ubi templo illatum, adsederunt perpetuò, nec avelli inde potuêre, priusquam humo conditum foret. *Hieronis* quoque atque *Lysimachi* canes, accensis dominorum rogis, in flammam se injecere, & uno arserunt incendio. Evolvantur *Plin. l.8. c.40. Solinus c. 75. Ælianus de animal. l.7. c.28. & 40. Pierius Hieroglyph. l. 5. p. 39. & seqq.* & *Dionis scripta de natur. can.*

§. 4. Hinc ab omni ævo his videtur commissa fuisse Templorum, domorum, corporisque custodia: quia præter dicta etiam sunt vigilantes, & auditu pollent, ita ut facilimè ab exiguo quoque strepitu excitentur. Unde in *Ætna Vulcani templum & lucum canes asservarunt*, qui adeuntibus castè & religiosè blandiendo associantes comitabantur: in scelestos verò & contaminatos, si vel templum vel lucum ingredi vellent, irruebant, & mordicus eos appetentes lacerabant, cæteris allatrabant. *Lares*, qui apud veteres pingebantur habitu peregrinantium seu succincti, unâ cum cane depingebantur. Hinc *Tobiæ* filio peregrinanti assignatur comes canis. Perpetui etiam comites erant *Proserpinæ*, quæ sine his nunquam evocabatur, hinc illud, *Thestyli, canes nobis per urbem latrant, Dea adest in triviis. Massanissa*, parum hominibus credens, canibus salutem suam obvallavit; Solemnis enim mos Heroum erat, ut canes gressum comitarentur, ac conciones ingrederentur, ut exempla probant (a) *Telemachi*, (b) *Dulichij*, (c) *Xantippi, &c.*

Custodes sunt ædium. Pier. l. 5. hier. Gyrald. de Diis Gent. Syntag. 13. Cæl. Rhodig. l. 23. c.29. Ludov. de la Cerda. Tob. c. 6. v. 5. c. 11. v. 9. Theocrit. in pharmaceut. Valer. Max. l. 9. c. 14. (a) Homer. odyss. l. 2. (b) Martial. l. 11. (c) Plutarch. in vit. Them.

§. 5. Odore quoque superant animantia cætera, quare *Seneca* eos vocat *nare sagaci*; hinc illud,

Dirige odorisequos ad cæca cubicula canes.

Inest ergò iis, præter miram venandi alacritatem, miranda in pervestigandis feris narium (a) sagacitas: unde Philostratus, *l. 1.* Iconum, vocat canes σκοπιωρούς speculatores; quasi illi uni speculentur naribus, cùm cætera animantia oculis. Nares igitur ipsis ferè sunt pro sensibus reliquis; *Sagacitas* enim, inquit Seneca Epist. 76. *prima est in cane, si investigari debet feras, cursus si consequi, audacia si mordere & invadere*: hoc sensu destituti ἄρινες καὶ ἄρινοι dicuntur.

(a) Cic. l. 2. de natur. Iust Lips. Ep. 10. ad contubern & cēt. 1. ad Belg. Ep. 44. Camerar. cent. 1. c. 24.

Quando polleāt odoratu?

§. 6. Id verò notandum venit, quod *Aristoteles* tradit, *Zephyro vento perflante, canes minùs comperire ferarum vestigia*, propter

Problem. sect. 26. qu. 24.

Digitized by Google

propter fragantiam odorum, quam ille excitat, unde fit, ut odores confundantur, vehementi quoque vento faciliùs difflentur: quibus etiam calculum suum addit *Theophrastus*. Contrariam prorsùs fovet sententiam *Div. Chrysost. orat.* 20. scribens, ***canem benè institutum non impediri ab investigandis feris, etiamsi*** πολλαὶ ὀσμαὶ ἀπό τε τῶν καρπῶν καὶ ἀνθῶν ὀσμαὶ παρενοχλῶσι, id est, ***multi odores ex fructibus & floribus misceantur.*** Causam fortassis ponit in hoc, quoniam etiam odor is imprimitur vestigiis, per poros tanquam occultos meatus cutis: in qua sententia etiam est *Voss. l. 2. c. 63. Theol. gentil. & l. 3. c. 30.*

Honos habitus canibus.

(a) AElian. var. hist. l. 8. c. 4.
(b) Alex. ab Alex. l. 3. c. 2.
(c) Euseb. l. 1. præp. Evang. c. 3.
(d) Pier. hierogl. l. 18.

§. 7. Ob recensitas naturæ dotes eximias, (a) *Græci* tanto in honore canes habuere, ut mortuos parentis affectu luxerint. Apud *Hyrcanos*, (b) & *Caspios* (c) canes pro sepulchro fuerunt, unde (d) *sepulchrales* dicti. Hos affluenti cibo nutriebant, & suos quisque canes parabant in vitâ, à quibus mortuus dilaceraretur, atque hoc eximium & solenne putabatur funus: Atque id Regibus maximè in usu fuisse, monstrat *Sil. Ital. l.* 13. canens:

Regia cùm lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis adhibere canes &c.

Cicer. l. 1. Tusc. quæst.
Homer. 22. Iliad.

Justissimè tamen morem hunc tanquam summè abominandum rejecit *Priamus*, qui, proponens sibi omnia atrocia, ***omnium***, inquit, ***esse*** οἴκτιστον ***miserrimum, si mortuus deturpetur à mortuis.***

Medicus cognoscat Naturas.
Gal. 2. de san. c. 11.
Gal. 3. Meth. c. 7.
Amet & fidelis sit ægris.

§. 8. Per virtutes hasce monetur Medicus, ut, ad curationem accedens, & ***ægrum ejusq; naturam apprimè noscat***: sicut enim fieri nequit, ut unum & eundem calceum sutor cunctis accommodet, ita nec unam vitæ speciem omnibus utilem Medicus præscribere poterit. Quapropter non possumus eos non demirari, qui nullo habito naturarum discrimine, de tuenda valetudine præcepta conscripsêre. ***Nam arbitrari communem quandam esse omnium curationem, summa est dementia***: non enim homo generatim, sed speciatim quisque hominum curatur: Quocirca medico opus est, peculiarem cujusque naturam perscrutari, ut propriam curationem cuivis adhibeat. ***Amore*** deinde prosequatur suos ægrotantes, qui viam monstrabit ei ad ***fidelitatem***, quam illis tùm in præsentis sanitatis conserva-

conservatione, tùm amissæ recuperatione præstare tenetur, ut pro ægrotante pugnare credatur. Hortatur quoque ad *custodiam virium*, quoniam *Galenus* monet, vires animales, vitales & naturales conservare, nil esse aliud, quàm vitam servare: ad *promptitudinem & alacritatem*, quæ adhibenda in quavis operatione medicinali; ad *indagationem partium* laborantium, specierum affectuum, & morbificarum causarum: ille namq; benè curat, cui hæc nota sunt. Ad quæ non parum conducit sensuum sagacitas. *Auditus* quidem, ut lubentibus benevolisque auribus audiat, tùm ægrotantes conquerentes de parte affecta, symptomatibus aliisque accidentibus, tùm adstantes, de vitæ genere antè acto, de statu verò præsente, quid medicamenta operentur, & quomodo se gerat æger, præsertim circa sex res non naturales, quò faciliùs descendere possit in fontes causarum, priusquam pedem moveat ad curam, inprimis si anteà cum ægro parum aut nunquam sit conversatus. Si *odoratum* consulas, multa sunt hoc judice à Medico, non sine maximâ utilitate expendenda: quale est universum illud symptomatum genus, quod circa olfactiles qualitates, & totius corporis, & naturalium succorum, & ipsorum excrementorum. In quibus tanta vis est hujus sensus & facultas, ut etiam ex odore deprehendas vitiata ne sit corporis & humorum intemperies, an inculpata, & nullis corruptelæ vitiis conspersa. Quis non facilè perspicit tetrum illum, & virulentum Elephanticorum odorem, quem toto corpore expirant, maximum nobis corruptelæ argumentum præbere? Quis etiam non animadvertit fœtidam axillarum & inguinum exhalationem in calidis & humidis naturis, nobis facilè demonstrare propensam ad putrilaginem (quam σηπεδονώδη vocant) corporis constitutionem? In sudoribus, urina, alvi dejectionibus, pure, sputis, muco narium, mulierum menstruis, & aliis id genus, hujus sensus indicium manifestius existimamus, quàm ut satis explicari possit. Non dicamus hîc de medicamentis vel alimentis, in quibus sagacissimo certè opus est hoc sensu odoratûs. *Gustu* quoque non minus valere debet, cùm ad illum tùm alimentorum, tùm medicamentorum judicium, ex saporum varietate sit referendum, in quibus potissima ac præcipua artis medicæ materia versatur.

Iul. Alex. l. 1. de Medic. p. 35
Gal. l. 9. method, c, 10.
Trallian. l, 8, cap. 9.
Hipp l. de arte
Auditus Medico necessarius.
Odoratus.
Gal. l. 1. de cris.
Hipp. prognost. 22. & 32. l. 2.
Gustus.

versatur. Huc accedit, quod Medicum, artis culinariæ non esse imperitum oporteat, quæ fermè tota ex saporum judicio est æstimanda, familiare ne sit cibus hic futurus alimentum, an à nutriendo alienum. Quâ in re multum ipsum juvabunt *Cal. Apitij libri X. de re culinariâ*, ac alii, qui de re cusinaria scripsêre. *Tactus* autem sit illi exactissimus, quo varias hominum tùm sanorum, tùm ægrotantium temperaturas explorabit, calidi, frigidi, & aliarum qualitatum, tùm varias vires, tùm multiplices recessus observabit: Hoc judice ac censore, alium in juvene, alium in puero caloris gradum deprehendet. Si verò pulsuum differentias consideres, occultos arteriarum motus, cùm aut in centrum se colligunt, aut in superficiem evehuntur: si pulsuum æqualitatem aut inæqualitatem, non variis tantum pulsationibus, sed in una eademque motûs parte: si varios pulsuum rhithmos, duritiem & mollitiem arteriæ consideres, facilè judicabis temperatissimum & exactissimum tactum Medicis esse perquam necessarium: alioque planè divinâ pulsuum cognitione carebit, quæ & ad morborum cognitionem, & eorundem curationem, ac præsagiendi rationem, est utilissima: sicut clarum fiet legentibus *Galenum de pulsib. & & præsagiis*, nec non *Hercul. Saxoniam qui tres libros scripsit de pulsibus.*

Tactus.

CAP. X.
De Gallo Æsculapij.

§. I.

Cur AEsculapio adpictus?

PUlcherrimam visuque dignam avem Gallum, prisci *Æsculapio* sacrificabant, teste *Cal. Rhodig. antiq. lect. l. 16. c. 12.* ubi vult ideò *immolatos esse gallos, quod Divinæ beneficentiæ, morborum omnium curatrici, diem, h. e. vitæ lumen se debere veteres testarentur.* Legatur & Lips. *cent. 1. epist. 2. Festo l. 9.* Præsertim si ex morbo convalescerent, id præstabant: Hinc *Socrates* infirmus, (ut *Plato* tradit *in Phædone*) *Æsculapio*, si convalesceret, gallum vovit. Etiam *gallus* ei dicatus, quia medicamenta ex ipso petuntur, ac ipsi ægri ejus carne jusculisve juven-

juventur; tùm quia Medicus ipsum in pluribus æmulari debet.

§. 2. Est *avis* hæc *vigilantissima*, quare dicitur Ἀλέκτωρ vel ἀλεκτρυὼν, quod nos à lecto excitet. Hinc *Simocatta*, κατ᾽ ἐξοχὴν, gallos & eorum cantum intelligens, dicit, περὶ τὰς ἑωθινὰς τῶν ὀρνίθων κελάδους, i. e. *sub matutinos avium strepitus*. Ab *Ovidio* audit *prænuntius lucis ales*, à *Virgil. in Moreto*, *Excubitor*, Vigilantissimus Gallus. lib. 2. hist. c. 18. l. 2. Fastor.

Excubitorq; diem cantu prædixerat ales.

A cantu matutino tempus dicitur Gallicinium vel crepusculum matutinum. Unde de eo *Ambrosius* sic scribit; *Bonus cohabitator, & dormientem excitat, & sollicitum admonet, & viantem solatur, processum noctis canorâ significatione protestans: Hoc canente, latro suas relinquit insidias: Hoc canente, mœstitiam trepidus nauta deponit.* Atque hûc respiciunt Christiani templorum turribus gallos imponentes. Episcopum quippe, & cunctos Christiani gregis pastores, vigilare pro ovibus sibi commissis decet. Plin. l. 10. c. 21 Pier. hierogl. l. 24. l. 5. Hexaëme.

§. 3. *Animosa* insuper avis est, nec timida, sed semper intrepida erectaque incedit, solem cœlumque præ reliquis animantibus aspiciens. Animositatis indicem habet cristam in capite regiam, & dependentem veluti virilem barbam, paleas & palearia dictam, caudamque cristatam. Regnum ergò in quâcunque sunt domo, exercent, & imperitant suo generi, nec facilè alienum, cui cristata illa cohors non commissa, admittunt. Unde proverbia: *Gallus in suo sterquilinio plurimùm potest*; German. Ein Han auff seinem Miste ist der stärckeste. Et illud, *duobus gallis in eodem sterquilinio, & duobus fatuis in una domo non convenit.* Zwey Häne auff einem Mist / und zween Narren in einem Hauß tügen nicht zusammen. Animosus. Plin. l. 10. c. 21. Erasm. chil. cent 4. adag. 25.

§. 4. *Pugnax* hinc etiam est, & pertinax in certamine, & pugnam fortiter init, acriter urget, ac feliciter finit: magnâ animi constantiâ est, præsente hoste. Excelso quippe animo adversarium cantu provocat antequam eum adoritur, posteà terram ferit, plumas circa collum erigit, pennas caudæ sursùm deorsùmque vibrat, hinc insilit, & nunc acuto rostro, nunc calcaribus iterum atque iterum ferit: Quod si palma contingit, statim in victoria canit, seque ipsi principem testatur. Hâc Pugnax. Erasm. chil. 3. cent. 3. adag. 22. Plin. l. 10. c. 21.

ex.

Pier. hierogl. l. 24. ex causa in augurali disciplinâ, galli cantus victoriæ signum est, propter eà quod victa ales silere soleat, canere si vicisset. Sic Themistocli pridiè quàm in Xerxem educeret copias, auditus gallorum cantus, victoriæ mox futuræ prænuntium fecit: cui præsagio eventus quam felicissimus respondit.

Amans. §. 5. *Amor Galli ergà gallinas* suas apparet exinde, quia si granum inveniat vel tritici, vel alterius seminis, singulari voce advocet, illisque communicet; Si periculum imminere sentiat, aliâ voce monet, ut fugâ se salvent. Toto prætereà die illas circumducit, habetque omnes obsequentes & maritum amantes.

Quare cantet? §. 6. Canere autem Gallum certo tempore, atque ita exactè, ut etiam horologiorum vicem supplere possit, vulgi fabula est. Canit enim tùm ob causas allatas, tùm libidine incitus, ut advocet gallinas: canit à coitu lætus, quia se semine nimio, quo onerabatur, exonerârit. Nempè, *inquit Vossius*, non, ut homo, resolvitur coitu, qui iccircò à Venere dolet: sed exhilaratur, quia semen, quo abundat, non est amplius molestum, & recentis eum coitus memoria delectat. Canit quoque circa crepusculum matutinum, gaudens, tùm quiete suaviter perceptâ, tùm quia sentiat, non sic, ut ante, pectus vel stomachum gravari cibo, (ut qui per totum corpus jam sit digestus) lætitiam cantu, & alarum plausu testatur. Frequentius itidem canit imminente pluviâ, horisque insolitis: tum quia hoc animal præsentiscit vapores ascendentes, & quia naturæ est calidæ, refrigerari iis gaudet, tùm quia humidus aër instrumenta vocalia replet pituitâ, quam cantu & alarum plausu studet discutere.

Theol. gent. l. 3. c. 88.

Voss. l. cit. c. 15. & 98.

Vigilans & intrepidus sit Medicus. Damascen. aph. 144. §. 7. Vigilantiam itaque summè sibi commendatam habeat Medicus: Adhæc, forti excelso, infractoque esse debet animo: (timiditas namque impotentiam denatat) cùm vel morbus minatur exitium, vel moratur diutius, omniaque remedia etiam summâ cum ratione præscripta, aspernatur, vel epidemiæ grassantur contagiosæ & pestilentes, ita ut noctu atque interdiu, quæcunque etiam vigeat cœli constitutio, magno cum vitæ periculo decumbentes adire necesse habeat: cogaturq; non rarò tetros sustinere odores; putridos inspirare halitus; iniquas audire

Digitized by Google

audire adstantium querelas: magnam denique ipsorummet ægrotantium inobedientiam, impatientiam, incontinentiam & ingratitudinem experiri, tametsi nullis pepercerit laboribus, curas ac molestias nullas sibi duxerit graves, sitque ea executus fidelissimè, quæ ad restitutionem sanitatis spectare videbantur. Pugnandum etiam interdum est Medico, contra balneatores, vetulas, agyrtas & carnifices, ubi illi, ut sæpè fit, inscio Medico sua probarunt experimenta; ostendendumque ipsis ægris, quando versentur in periculo, tùm corporis tùm animæ, si neglecto legitimo medicamentorum usu, hisce salutem suam concredant. Convenit etiam, ut ægros suos Christiano prosequatur amore: blandè leniterque eos tractet: & amicè suaviter ac familiariter eos alloquatur.

Cap. XI.

De Dracone Æsculapij.

§. 1.

Ultimum inter *Æsculapio* attributa .enet locũ Draco, (sub cujus imagine etiam ipse pater *A*... colebatur) isque varias ob causas appictus, aliis tradentibu... salubritatis esse signũ; aliis, ab *Æsculapio* draconem educatum esse, in monte *Peleo*, & *Pelethronium* vocatum esse. Strab. l. 9.

§. 2. Id tamen notandum, quòd multi confundant & pro uno eodemque agnoscant Draconem & Serpentem, cùm tamen maximè inter se differant, quoad actiones & naturæ propria, est quippe Draco serpens maximus, validissimus, terribilis, caudæ robore plurimùm valens, non venenatus, & proinde differt à Serpente, ut Rex à subditis, unde & Regibus erant sacri, ipsosque denotabant, ut patet ex *Artemidoro l. 2. cap. 13.* scribente, ὁρώμενος δράκων, βασιλέα σημαίνει, *viso dracone Regem denotabat.* Et hanc differentiam agnoscunt etiam authores, cùm signatè ponunt Draconem, non anguem. **Draconis & Serpentis differentia.** Voss. Theol. Gent. l. 4 c. 58 Plin. l. 29. c. 4.

§. 3. Maximum serpentem esse liquet ex Philostrato in imagin. tradente, *Ajaci* fuisse mansuetum *Draconem septem cubitorum longitudine*, unà cum *Ajace* & bibentem & versantem, **Magnitudo.**

Digitized by Google

viasque præeuntem, atque canis instar insequentem. Nolumus hîc attingere, quæ fabulosè traduntur de draconis magnitudine, videatur *Plin. l. 8. c. 13. Pier. Hierogl. l. 16.*

Nominis ratio. §. 4. Grammatici nominis rationem investigantes, è quibus est *Festus*, dicunt appellari Δράκοντα κατὰ μετάθεσιν, pro δάρκοντα, ex δέρκειν, adeóque ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, à videndo derivari, acutissimâ quippe & pervigili oculorum acie prædictus fertur âb Authoribus draco. *Scaliger* deducit ἀπὸ τοῦ δρᾶν ἄχος, q.e. dolorem facere. *Vossius* ἀπὸ τοῦ δρᾶν ἄκος, h.e. facere medicinam, quia innoxii sunt, & Æsculapio dicati, cujus filia fuit Panacea, ex πᾶν & ἄκος, quasi omne medicamentum, di[illegible] *Theophilus ad Autolycum l. 2.* ducit hoc nomen ἀπὸ τοῦ διδρακέναι à fugiendo, cùm videlicet draco, h.e. diabolus, fugit à DEO in primæva mundi constitutione.

Pier. hierogl. l. 15. Macrob. l. 1. Satur. c. 20. Exercit. 183. f. 12. Voss. Theol. gent. l. 4. c. 58.

Quia valet visu & auditu, custos habitꝰ thesaurorũ. §. 5. Quoniam autem non solùm visu pollet acutissimo, sed & vim habet hauriendi sonos eximiam, ita ut eos etiam è longinquo sentiat accuratissimè: insuperque facultate vigilandi & excubandi prædictus insigni; Poëtæ hoc nomine illum custodem constituerunt thesaurorum, ac pomorum aureorum *Hesperidum*; de quibus *Lucanus l. 9.*

Atque insopiti quondam tutela Draconis
Hesperidum pauper spoliatus frondibus hortus,
Et nunquam somno damnatus lumina serpens.

Unde illud *Tullij l. 13. Philipp.* Qui domini patrocinium complexus, quasi thesaurum Draco.

Medicus sit providus. §. 6. Per oculorum itaque Draconis acumen innuitur, inspiciendum Medico sæpiùs esse Naturæ librum, humanum scil. corpus, ejusque rimandas partes, morborum domicilia: volvenda assiduè Medicorum monumenta, mutos illos Magistros: intuendo ægrorum excrementa, quantum à sanorum recesserint; colorem faciei, qualis enim latet in corpore, talis apparet in superficie; valorem oculorum, prout enim illi valent ita & reliquum corpus; molem & habitum corporis, figuram & situm partium, accidentia, quæ visu percipi possunt, inprimis in penitioribus corporis partibus, ut palato, auribus, naribus, &c. ad quas hebetior visus penetrare nequit, alia signorum

Digitized by Google

ſignorum diagnoſticorum fontes: luſtranda inſuper & examinanda organa pharmaceutica & diætetica, quibus ſuas exercere functiones Medici conſueverunt: ne quid pro quo, mors pro vitâ ægrotis præbeatur.

§. 7. De auditu, ne crambem bis coctam eâdem in menſa imponamus, hîc denuò nil licet dicere. Vigilantiam draconis tamen, ut paucis attingatur, quia & de hâc ſuprà dictum, imitetur alacritate & ſolicitudine: ut noctu & interdiu ægrotantibus conſilio ſuo adeſſe, & inæſtimabilem illum vitæ theſaurum, SANITATEM, iisdem recuperare, recuperatamque tueri, & cuſtodire poſſit diutiſſimè. Vigilantia cuſtodiat ſanitatem.

CAPUT XII.

Continens Problemata quadam dubia.

I. *Plus ne ponderis atq; momenti in Medico, ad benè feliciterq; medendum.* Ratio, *h. e. doctrina & eruditio, ſeu artis cognitio, habeat: an rerum* uſus *atq;* experientia?

Nobilis hæc eſt quæſtio, atque ita comparata, ut de eadem in utramque partem valdè prolixè poſſit diſputari; quare etiam *Nobiliſſ. ac Excellentiſſ. Dn. D. Præſidi Parentis loco pio obſequio ſemper devenerando*, non diſplicuit nuper, 1. *Iulij Anno* 1669. in ſolenni promotione Medicinæ Candidatorum, eandem movere, ac in Illuſtri congreſſu de eâdem diſſerere: Cujus proinde rationes, utpote quæ maximè mereantur, hîc quoque B. L. proponendas perneceſſarium duxi.

Pro deciſione itaque propoſitæ quæſtionis, reſpondemus *potiores partes obtinere Experientiam.* Quod tamen non ita dictum volumus, ac ſi comparationem inter *Rationalem ſeu Dogmaticam, & Empiricam* inſtitueremus Medicinam, huicque

H 2 palmam

palmam tribueremus: aut experientiam à ratione separare vellemus. Absit enim proculque facessat Empiricorum illa ἰμπειρία: Quæ non curat, sed curvat, non sanat, sed sauciat: non medetur, sed mentitur. Qui enim hoc facere possemus, cùm Ratio & Experientia duo Medicinæ crura à *Galeno* dicantur: quorum si unum amputetur, claudicare imò prorsùs concidere artem sit necesse. Id quod probè intellexit is, qui memoriæ prodidit, Rationem sine Experientia esse mendacem: Experientiam verò sine Ratione fallacem: ac propterea mendaces esse, qui sine Experientia docerent: fallaces, qui sine ratione experimenta facerent. Scimus insuper, artem & rationem multas easque egregias, præ experientia prærogativas habere; quas *Peripateticorum Princeps l. 1. major. Metaphys. c. 1.* breviter: sed more solito admodùm nervosè atque ingeniosè recenset. Verùm his non obstantibus, verè & rectè concludi posse arbitramur, ex duobus Medicinæ cruribus plus virium ad consequendum finem in medendo habere *Experientiam* quam *Rationem & Artem*. Ne autem temerè ita conclusisse videamur, Sίαυ & authoritate atque testimonio gravissimorum Virorum: & argumentorum momentis stabilire conabimur. Inter artis nostræ Proceres primus sese offert *Hippocrates* Nam *lib. de flatib.* scribit, usum & experientiam egregium esse διδάσκαλον tùm aliorum artis operum, tùm vel inprimis etiam eorum, quæ manuum ministerio peraguntur. Solertissimus Hippocratis interpres *Galenus comm. 6. Aph. 31.* fatetur, *Hippocratem* multa experientiâ magis quàm ratione cognovisse. *& l. de subfig. Empir. c. 13.* inquit, eum propter usum atque experientiam in artis operibus *Æsculapij* gloriam apud posteritatem esse consecutum. *Avicenna* tantùm tribuit experientiæ, ut asseverare minimè erubescat, ubi aliud ratio suadet: aliud experientia monstrat, *dimittendam esse rationem*, & experientiæ præscriptum sequendum. Videantur, quæ suprà attulimus, ex *Iano Damasceno cap. 3. §. 9.* nostræ disputationis. Neque verò Medicorum tantùm dictatores ita de usu & experientia judicant: sed etiam Philosophiæ sectatores acutissimi: & dicendi artis magistri optimi. Ex *Philosophantium choro* placet unum instar omnium *Aristot.* allegare. Hic enim *l. 1. maj. metaph c. 1.* scribit,

ſcribit, peritos atque exercitatos magis quàm illos, qui ſine uſu artem duntaxat callent, quod intendunt adipiſci. Ex *Oratorum* verò cœtu ſolius *Ciceronis* mentionem faciamus. Sic namque ille 1. *Officior*: Nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperunt, quicquam magnâ laude dignum, ſine uſu & exercitatione conſequi poſſunt. Uſum quippe ſequentem omnium magiſtrorum præcepta ſuperare. Ad cujus judicium ſuam quoque ſententiam *Plinius* adſcribit: qui efficaciſſimum rerum omnium magiſtrum uſum pronunciat.

Sed miſſis his teſtimoniis, placitum argumentis confirmemus. Primum erit; quod nobis *Ariſtot*. citato antea loco ſuppeditat: *Experti,* inquit, *minus à ſcopo & fine actionis aberrant, quàm artifices experientiâ deſtituti.* Quid ità? quia experientia eſt notitia rerum ſingularium, in quibus actiones per ſe verſantur. Ars verò notitia eſt rerum univerſalium, in quibus actiones quaſi per accidens occupatæ ſunt. *Non enim,* ſubdit idem, *hominem, niſi per accidens, ſanat: ſed* Calliam *aut* Socratem, *aut aliud aliquod Individuum, cui accidit hominem eſſe. Hinc fit, ut artifex rerum ſingularium circumſtantias ignoret, quia regulæ univerſales ſæpè mutantur: ſicq; à ſcopo ſibi præfixo aberret, quam qui medendo & artis opera tractando uſum & experientiam ſibi comparavit:.*

Secundum argumentum eſt: Quoniam applicatio univerſalium artis theorematum uſque adeò difficilis eſt, ut artifex inexpertus, in tantâ corporum varietate, & circumſtantiarum multitudine, in debitorum remediorum inventione, & inventorum legitima adminiſtratione ſæpè hæreat. Expertus contrà, & in praxi diu multumque verſatus, facilè quæ pharmaca è re ſint ægrotantis, perſpicit: nullo quin etiam negotio, quâ in quantitate præſcribenda, quo modo uſurpanda, quo tempore offerenda, & cui loco applicanda ſint, intelligit. Cauſa eſt, quia *uſus ille eſt magiſter, qui judicium acuit, memoriam confirmat, ingenium ad inveniendum promptum, atq; expeditum reddit.*

Tertium Argumentum, quia plurima in Medicina, & inprimis in parte ejus chirurgica, ita comparata ſunt, ut neceſſariò

Digitized by Google

& αὐτοψίαν, & dexteritatem manus requirant. At quodnam quæso principium hanc parit: Ratió ne & nuda præceptorum artis cognitio? Minimè gentium. *Ex libro enim*, Galenus in calce *cap.* 1. *l.* 1. *de Alim. facult.* inquit, *neque in nauclerum, neque in alterius alicujus artis opificem quis evadere potest.* Sequitur ergò quotidianam experientiam & praxin eam efficere.

Quartum: quia notorium est, experientiam ratione antiquiorem & tempore priorem esse. Ἡ γὰρ ἐμπειρία, ajebat *Polus*, τέχνην ἐποίησεν: ἡ δὲ ἀπειρία τύχην: *Experientia artem genuit: Imperitia verò fortunam.* Quod dictum *Aristot. l.* 1. *maj. metaph. c.* 1. summoperè probat. *Ars quippe constituitur*, inquit, *cùm ex multis experimentalibus conceptibus una de similibus universalis fit opinio.* Quare si experientia artem peperit: sique primæ Medicinæ Proceres usu tantùm atque experientiâ homines curârunt: & curârunt satis feliciter: haud ineptè nobis videmur concludere, experientiam in medendo arti & rationi antecellere.

Quintum ex caligine & imbecillitate rationis humanæ: & certitudine contra sensum, qui maximè & immediatè experientiam constituunt, sumitur. Etenim *intellectum & rationem Aristot. l.* 2. *metaph. c.* 1. *vespertilionum oculis in clarissimâ luce cæcutientibus comparat.* Scaliger *exercitat.* 131. *sect.* 1. scribit: *nos in tenui rerum luce caligare: in mediocri cæcutire: in majore cæcos esse: in maxima prorsùs insanire.* Fernelius *l.* 4. *meth. med. c.* 3. ingenuè fatetur, *multa plerunq́ solitariam meditationem & probabilem rationem suadere, quæ usus & experientia coarguat.* Sensui verò tantùm tribuit *Aristot. ut l.* 3. *de gener. an. c.* 10. illi magis, quàm rationi credendum esse statuat. Id quod & *Hippocrates* aliquot seculis ante Aristotelem suo calculo approbavit, cum *l.* 1 *de diæt.* majorem fidem oculis, quàm rationibus & opinionibus adhibendum esse præcepit. A quorum sententia minimè alienus est *Galenus.* Nam in opere *de simpl. med. facult.* sæpiùs inculcat, facultatum medicamentis necessariarum certissimam judicationem esse experientiam: graviterque in veteres passim invehitur, quod neglecto sensu, solis quibusdam ratiociniis potestates & vires remediorum indagare fuerint conati. Verùm quid pluribus rationibus pro experientia

entia pugnamus? Annon *Experientissimi titulus*, quo Medicus hodie à doctis omnibus insignitur, indigitat, *Experientiam* in medicando, *Rationi* prævalere? Nunquid non libentius & confidentius literati pariter atque literarum ignari corporis sui curam illi committunt Medico, cujus peritia jam ex medendi dexteritate innotuit, quàm qui sine experientia subtiliter de humani corporis principiis & affectionibus disserere: speciosè de morbis, morborumque causis & symptomatibus verba facere: eleganter signorum doctrinam explicare: rationabiliter modum conservandæ sanitatis describere: denique methodicè morborum curationem genericam ostendere valet?

II. *An Medicina juxta Virgil. l.12. Æneid.* fit ars muta?

ERat quidam *Iapis* nomine, cujus pater jam erat senex, debilis insuper ac inter limites desperatæ salutis constitutus, hic ut fata parentis protraheret, ab *Apolline* petiit artem medendi; id quod *Virgil. l.c.* his versibus tradit:

Ille, ut depositi proferret fata parentis,*
Scire potestates herbarum, usumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

* Iapis.

In quibus versibus notandum venit, poëtam *artes Medicas* vocare *mutas*; quod in artis Medicæ opprobrium allatum esse videri posset cavillatoribus: Verùm si Poëtæ verba æquâ lance ponderentur, nihil in artis hujus vilipendium inde deduci poterit. Dicimus itaque I. Poëtam locutum esse *comparativè*, respectu musices, poëseos & vaticinij, quæ voce exercentur; Medicina verò operatione, herbis scil. non verbis. Juxta illud *Celsi, morbi non eloquentiâ, sed herbis curantur.* Sicut & dicterium illud habet, Ἰητρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος, *loquax medicus ægroto, novus morbus.* Videatur etiam *Ianus Damascen. aph. 50. & 53.* II. Locutus quoque est Poëta, *distinctivè*, distinguens scil. inter *Medicinam Empiricam & Rationalem*. Unde dicit *Iapidem* scire voluisse potestates herbarum, & usum medendi; non ergò doctrinam & scientificam cognitionem: quare

quare meritò additur, *& mutas agitare inglorius artes*, id est, tales artes, quæ in simplici operatione consistunt, ac è quibus nulla gloria expectanda foret. *Empiricam* autem Medicinam *mutam* artem esse, exinde constat, quòd careat certis principiis aut fundamentis, è quibus vel possit disputari, vel remediorum facultas examinari, quâ ratione hoc vel illud exhibeatur. Verùm longè alia ratio est *dogmatica Medicinæ*: Huic quippe operam dantes, non solùm respiciunt ad medicamenta, quæ aliis auxilio fuêre, sed antequam aliquid agant, naturam corporis, cui mederi conantur, diligenter, omnium signorum exquisita habitâ ratione, causarum omnium, in quas quotidiè corpus incidens, vel salubrius vel insalubrius se ipso efficitur, vires inquirunt: nil omittentes, quod ad legitimam curandi rationem requiritur; quo, si petatur, curationis suæ rationem reddere queant.

III. *Utrùm præstet bonum esse* Medicum, *an verò bonum* Chirurgum?

Olim duæ hæ artes, *Chirurgia* nempè ac *Medicina*, non discriminatæ erant personis, sed citra ullum honoris incommodum Medici Chirurgiam quoque tractârunt. Quare *Senec. Epist. 52. Nunquid æger laudat Medicum secantem?* Et *Ioh. Chrysost. Orat. 1. de S. Rom. Martyr.* scribit, καλεῖται λοιπὸν ἐπὶ τὴν τομὴν ὁ ἰατρὸς, *vocetur ad sectionem Medicus.* Quibus calculum suum addens *Div. noster Hippocrat. in lib. de Medico*, Medicis tribuit χειρουργίαν, τομὴν καὶ καῦσιν, *Chirurgiam, sectionem & ustionem.* Quantum autem hâc in arte præstiterit *Hippocrates*, satis declarant libri ejusdem, *de capitis vulneribus*, *de ulceribus*, *de officina chirurgica*, *ac de articulis*, quos deinde *Galenus* diligentissimè interpretatus est. Ambæ igitur sub iisdem Authoribus sunt natæ, nec *chirurgiæ* alia, quàm *Medicinæ* præcepta, nec aliæ demonstrandi sunt leges. Procedente tamen tempore, duæ hæ artes diversis personis sunt commendatæ, tùm quia operosum erat pro quocunque ulcusculo medicum consulere; tùm ut Medicinæ dignitas splendidior evaderet, cum rationis facultatem liberalem assumerent *Medici*, quidquid manuum

nuum opera geri solet, *Chirurgis* committentes. Non igitur immeritò quæri potest, *utrum præstet bonum esse Medicum, an verò bonum Chirurgum?* Ad hanc quæstionem respondent alii, *Chirurgum* bonum esse præstare. Ratio, quoniam *Chirurgus* ea perficit, quæ natura planè nequit peragere, luxatos artus reponendo; fracta ossa aptè componendo; composita artificiosè deligando: deligata rectè collocando: ne aut dolor aliquis oboriatur: aut pars fracta distorqueatur: & infinita hujus generis alia. *Medicus* è contra saltem naturam in actionibus suis aut imitatur, aut adjuvat, quo vel feliciores, vel citiores fiant. Verùm nos respondemus *Bonum Medicum* prævalere; hâc ratione ducti: quoniam nomen *Medici* latius patet quàm *Chirurgi*. Potest enim quis esse *Medicus*, & simul etiam *Chirurgus*, sed ab hoc, non contra licet argumentari, hic est bonus Chirurgus, Ergò & bonus Medicus. Imò cùm Medicina ex triplici petatur fonte, *Diætetico* nempè, *Pharmaceutico*, ac *Chirurgico*, necessariò requiritur, ut *Medicus* sit etiam *Chirurgus*, ad minimum actu primo, licet non sit talis actu secundo. Quia enim ea ferè omnia quæ à chirurgis tractantur, originem agnoscunt à causa interiore, quæ consideratio atque curatio planè est Medica, ideoque omnium, quæ foris existunt atque geruntur, rationem Medicus tenet, qui Chirurgi opus dirigit, Chirurgus verò ipse manuum usum & exercitationem præstat: Et per consequens Chirurgus instrumentaliter per Medicum facit, quod natura nequit.

IV. *An* Fortuna *requiratur in Medico?*

NOlumus hîc prolixi esse, in recensendis variis vocabuli Fortunæ acceptionibus, quæ passim occurrunt, sed solùm hoc modo quærere, *An felicitas necessaria sit Medico, & per consequens medicus, plus efficiat fortunâ quàm arte?* cùm permulti hodiè eorum, qui faciunt Medicinam, etiamsi non adeò sint docti, & agyrtæ, & pharmacopœi, eorumque ministri, & alii plurimi, quibus eventus aliquando respondet, in levioribus morbis, quos etiam natura superare valeret, à vulgo dicantur

 fortunati:

Digitized by Google

fortunati: Sic & illi I. dicuntur fortunati, qui ad multos accersiri solent ægros, eosque restituunt sanitati. II. Illi, qui prudentes sunt, & in arte bene versati vocantur fortunati. Sed hæc vulgi opinio nihil ad rem facit. Dicimus itaque curationes medicas *non à fortunâ, sed ab arte dependere*: idque *Primo, ex definitione* fortunæ, quæ est; *Fortuna est causa per accidens, in iis quæ agunt ex electione.* Morbi autem non curantur per accidens, sed legitimâ administratione remediorum, quæ legitima administratio non à fortuna pendet, sed doctrinæ & judicio Medici innititur. Rectè hinc scribit *Hippocrates lib. de loc. in hom. Si morborum medicamenta certa sunt, quorsum fortuna opus, aliàs tàm medicamenta, quàm non medicamenta cum fortuna exhibita proderunt. Secundò, ex Etymologia* nominis: fortuna quippe dicta est *à ferendo, quod temerè & sine ratione feratur.* Cùm itaque temerè feratur, fit ut sæpissimè suo frustetur fine, eundemque raro assequatur; ars verò sæpissimè consequatur finem: idcircò concludendum videtur artem plus in morbis valere. Et *Tertiò*, quia *ratio plus in curandis morbis potest, quàm temeritas*, experientia quotidiana hactenus testatum fecit, Viros prudentes semper eligere potiùs scientissimos quosque ac experientissimos, quàm temerarios & fortunatos, quique casus etiam plerunque insuetos ex adverso occurrentes, & morbos anteà non visos, neque auditos, ratione ducti superare noverint: non si quæ ars alia, medicina sanè omnium maximè ratione nititur potissimùm, experientiâ stabilita, sine quâ manca semper futura sit: Ex quibus ut ratio temeritatem respuit, sic experientia casum, quem inexperientiæ filium esse novimus. *Ubi* autem *plurimum artis, ibi minimum fortunæ.* Quando verò cum *Hippocr.* & *Galeno* fortunam hîc ab arte rejicimus, eandem non planè, ut causam secundam, è medio tollimus; sed ad munia sua tantùm revocamus, ne se tanquam pars artis facta, officio alieno arti debito admisceat.

Aristot. 3. metaph. c. 2. & 2. phys. c. 6.

Roderic. à Castro quæst. medic. polit. l. 1, c. 11.

V. *An* Natura, *an verò* Medicina *curet morbos?*

OMissis philosophicis acceptionibus vocabuli *Natura*, Medicâ

dicâ significatione *Galeno* denotat, vim quandam seu facultatem totum corpus gubernantem. Pro hac pugnatur, quod sit *morborum curatrix* ex sententia *Hippocratis*, scribenris, νούσων φύσιες ἰητροί, *natura morborum curatrices. Hac sibi vias invenit, per quas noxia materia egrediantur,* οὐκ ἐκ διανοίης, *non quodam mentis discursu: & quamvis sit* ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα καὶ ἀδίδακτος, *indocta nulloque usa magistra, ea tamen, quibus opus est, efficit.* Hâc repugnante, irrita fiunt omnia. Verùm quæ hic afferuntur, non simpliciter sunt intelligenda, sed cum distinctione. Certum quippe est, artem medicam nonnulla majora, interdum etiam præstantiora gerere, quàm natura queat efficere, ut patet in luxatorum artuum repositione, ὑπερσαρκώσεων in ulceribus & vulneribus ablatione &c. quia *natura instinctu solo, medicina verò rerum ducitur cognitione & intelligentiâ.* Quando itaque artificium humanum præsupponit naturæ vim, quam juvat, aut cujus defectum supplet, tunc plus potest ars naturæ subnixa, quàm ipsa sola natura, quia tunc naturalis operatio juvatur & perficitur, per humanam industriam. Distinguendum itaque videtur inter *causam principalem & primariam*, quæ statuitur *Natura*, per facultatem præcipuè concoctricem & expultricem morbos curans: noxios humores vel concoquendo, vel consumendo, vel dissipando, vel eos per vomitum, alvum, ductus urinarios, cœcaque cutis spiracula evacuando. II. Inter *causam ministrantem*, quæ est *Medicus*, naturam adjuvans: quem ars medica instruxit, ut secundùm artis præscriptum morbos curet. III. Inter *causam Instrumentalem*, Medico subservientem, sub qua comprehenduntur, *Pharmacopœi, coqui, chirurgi, balneatores, rizotbomi, herbarij, ancilla, &c.* adstantes ab Hippocrate dicti. Unde Medicus sæpè non solùm fit naturæ minister, sed interdum adjutor, interdum etiam opifex primarius. Si itaque arti tribuantur ea, quæ sunt naturæ; tunc unaquæque per se satis potens est, nec alterius munus præstat, sed quælibet suo modo & ratione, confert ad curationem morborum.

Com. 5. in lib. 6. Epidem. 5. 1. l. 2. de caus. sympt. c. 1.
lib. de alimento.
l. 6. Epidem. sect. 5.
Lib. de lege.

Digitized by Google

VI. *An Medicus pacisci debeat* de Mercede?

DIximus suprà *cap.* 1. §. 23. *pag.* 17. ex *Pindaro & Eusebio*: *Æsculapium à Iove* fulmine ictum esse ob *avaritiam & auri cupiditatem*: Quare meritò in dubium vocatur, *utrum Medicus rectè accipiat mercedem, aut cum ægro de ea pacisci possit?*
Negativa. Qui negativam tenent, adducunt I. authoritatem *Hippocratis* populo *Abderitano* scribentis; *neque Viri Abderitæ, argentum per vim mihi obtrudite, sed libera artis libera esse finite opera; qui verò mercedem capiunt, hi scientias servire cogunt, veluti captivas ex priori libertate ipsas facientes.* Sed hæc ne patrocinantur? minimè gentium: Loquitur enim Divinus Vir de mercede, quam per vim exigit Medicus, non de ea, quæ ab amicis, & benevolentibus ultrò offertur. Unde, *libro de præcept.* monet Medicum, *ut in accipienda mercede, omnem deponat acerbitatem.* II. Dicunt, *Spiritualia non posse ullo pretio absq; simonia peccato vendi*: Sed Medicinam esse quid spirituale, E. non posse mercedem pro eâ recipi. Verùm resp. Medicum non recipere mercedem pro re quâdam spirituali, nec pro ipsa sanatione; quale enim præmium par esset sanitati? Sed pro labore, quem in curando impendet.
Affirmativa. Pro affirmativa stantes, quoque adducunt verba *Hippocratis, ex lib. de præcept.* scribentis, *Medicum à mercede curationem exordiri debere*, subdit idem, *si à mercede inchoaveris, conducit hoc universo negotio; ægroto quidem cogitationem inducens, quod non ipso relicto abibis: si verò non pacisceris, quod ipsum negliges, & de quibusdam in rem præsentem non admonebis.* Sed ex hoc præcepto quæstuosi Medici, magno mortalium detrimento & scandalo, curationem omnem à mercede inchoandam concludunt, atque id, ubi morbus urget, quia (inquiunt) quæ ars non venditur, ea vilipenditur, & propterea

Exige dum dolor est, nam postquam pœna recessit,
Audebit sanus dicere, multa dedi.

Sciant

Sciant autem illi hæc ab *Hippocrate* allata, cum grano salis esse accipienda. Distingueudum igitur videtur I. *inter Medicum ejusq; conditionem.* Alii quippe salaria seu honoraria annua habent, à Regibus, Principibus, ac benè constitutis Rebuspublicis, *Physici* inde dicti: Alii *Practici*, quibus nulla præbentur salaria. De illis planè negatur; De his aliquo modo concedi potest: observatis tamen iis, quæ subsequuntur. II. Inter *Divites Medicos*, qui ex bonis suis abundè possunt vivere: & inter *eos, qui magnis opibus non dotati,* sed subminiculo alieno necesse habentes. III. Inter *Ægratos*, ex his enim quidam sunt divites, avari, &c. qui sine detrimento bonorum gratitudinis ergò quid communicare possunt Medico pro collato beneficio: illi inprimis, qui de valetudine suâ solliciti, toto curationis tempore volunt Medicum quasi sibi addictum apud se habere. Et inter eos, qui alienis necessitatibus opus habent; *Pauperes quippe gratis curandos esse*, præcepit *Hippocr. Beatus* quoq; dicit Propheta, *qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* IV. Distinguendum inter *ipsos morbos*: I. *In venenatis & pestilentialibus*, ubi tùm ipsius Medici, tùm suorum, periclitatur salus, nil certè videtur impedire, imprimis si non sit constitutus Physicus, quin in tali casu pactum contrahat generale. II. In *acutis verò & urgentibus*, si paciscì volueris cum ægroto, verendum est, ne commoveas ægrum ad iram, indignationem, &c. ob quæ animi pathemata facilè in majus præcipitabitur malum, ac succumbet. III. *In Chronicis* quoque aliquid concludi posse videtur ex Hippocratis citato loco. Verùm quia respicit merces jam factum laborem, haud videtur, ante curationem paciscendum esse cum ægroto. Videatur *Ripa* de peste, ubi aliàs *num. 125. & seqq. Caroc. de loc. & cond. part. 2. rubr. de Med. quæst. 5. & Cagnol. in l. diem functo. ff. de off. assess. n. 131.* Nec etiam post curationem benè actum existimamus, siquidem Medicus avari nomen evitare voluerit: Observato eo, quod *Soranus* initio *Isagoges* præcepit; *Mercedes*, inquiens, *si quidem dentur, accipiantur & non recusentur : si autem non dentur, non exigantur, quia quantum quisq; dederit, non potest ulla exaquare mercede beneficia medicinæ.*

I 3 VII.

Digitized by Google

VII. *An* Medicus senex Juniori *sit præferendus*?

DUo artis Medicæ ostendimus esse crura, *rationem* scil. & *Experientiam*: Hancque non nisi in senem ac provectioris ætatis hominem, supra *cap. 3. §. 9.* cadere diximus. Hinc multi existimant, *Medicum Iuvenem ad curandum prorsùs esse inutilem*, quoniam diutinam exercitationem, quæ ante canos non venit, nondum habere potuit. Unde illud Germanorum: Ein newer Doctor, ein newer Kirchhoff. Verumenimverò, licet, ut in aliis operibus, sic & in Medicina, *Senes* præstent *Iuvenibus*; fieri tamen etiam potest, ut juvenis in præceptis Medicis scientissimus, & in operibus non mediocriter exercitatus, tàm in medendo, quàm in docendo Reipubl. sit utilissimus; si modo mente canescat, quamvis non mento, cani enim hominis, sapientia ejus, qui in brevi ætate tempora multa complevit. Quo autem talis juvenis, senex eruditione evadat, his ducibus voti sui compos fieri poterit. *Naturâ & ingenio*; naturâ quippe reluctante, quicquid superstruxeris facilè corruet; *Ingenium verò naturale Medici*, inquit *Damascen. aph. 47. cum parvo artis adjumento adjuvat naturam. Doctrinâ* insuper, *loco studiis apto, institutione à puero, industriâ, & tempore.* Quâ in re multum juvabunt boni manuductores. *Quæ enim*, inquit Damasc. aph. 6. *à Præceptore perito ac fideli percipiuntur, tutiora sunt, & minore jacturâ constant.* Committat igitur sese, bonus aliquando futurus Medicus, iis Præceptoribus, *monet Heurnius, in Introduct. Medic.* qui solidi quid studuêre; neque iis qui frivola tractant, quo utilia, sana, & per totum vitæ ac praxeos tempus nobis proficua negligant. Ne exclamare cogatur, cum *Cratone in præfat. ad Fernel.* Deplorare magis, quam emendare seculi nostri miserias conceditur nobis! Dum enim Novatores declarant, nubes, nebulas, quo sol aliàs clarissimus, radios spargere nequeat, claritati antiquæ obducunt. Et dum cum Phaëtonte omnia reformare, novas leges ferre, omniaque vetera instituta mutare conantur, pervertunt hoc conatu omnia, cœlumque ac terram commiscent. De his dicit Lutherus B.M. Phaëton ist ein junger Regent / der will

Digitized by Google

eylff Kegel treffen/ da nur neun auff dem platz stehen. Quod tamen non ita dictum velimus, ut novitas planè repudietur, sed ut ita admittatur, ne vetustas suo loco deturbetur. Sicut itaque fieri potest, ut juvenis Medicus Reip. evadat utilissimus: ita è contrà sæpè accidit, ut senes plerique in neutra Medicinæ parte versati annorum numerum opponant, ac longum usum, qui citra ullam observationem in visendis ægris, non verò in arte medicâ, consenuerunt: & proinde in ipsa senectute juvenes. Hinc *eloquentiæ pater Cicero, non faciunt,* inquit, *cani sapientiam aut rugæ, sed ut cum magna doctrina, multum usum conjunxerit, necesse est. Qui enim,* sunt verba Baptist. Salvat. controvers. 43. pag. 208. *diu noctuq; dieq; artis medicæ studiis strenuè operam dederit, quo plus temporis in his laboribus impenderit, plus sapere summo consilio existimandus est, & omni ratione sibi juniori anteponendus. Quod si quis neglectis studiis, solo Medici nomine contentus, usui se totum dederit; hunc ego neque se ipso juniore doctiorem fecero, neque experientia præstare facilè dedero; cum non satis esse semper existimaverim, ad capiendam ex ægrotorum inspectione utilitatem, multos vidisse: sed opus esse doctrinâ, & studio, cujus ope quid novi in iis sit, quod antiqui præteriisse credantur, aut cum eorundem placitis conveniat, cognoscamus; quibus instructi, ex multis, quæ nobis se offerunt medicamentis, quodnam ex usu sit, non ignoremus. Est noverca sapientiæ negligentia, & intermissio studiorum; è contra diligentia, & assiduitas, mater & magistra; ubi præsertim usui accesserit cum studio veritatis conjunctus.* Et tandem concludit: *Ejusemodi ego senem usu & doctrinâ præstantem,* (ergò non omnem) *si non plurimi fecero, planè me impudentem judicato.*

Rod. à Castr. Quæst. Med. Polit. l. 2, c. 10

Atque hæc Æsculapio Inventore Medicinæ, & occasione hujus, pauca de Medico & ejus officio, impræsentiarum dixisse sufficiant: DEOque Ter OPT. Ter MAXIMO, pro infinitis in nos collatis beneficiis, immortales gratias agentes,

Tendimus ad portum, & victu valedicimus undis.

Corollaria.

COROLLARIA.

1. *Confidentia ægri in Medicum plurimùm in curâ confert ad ipsius salutem.*
2. *Si Medicus sufficit ad cognoscendum morbum, sufficiet quoq; ad illum curandum.*
3. *Nullum tàm efficax remedium Medicina habet, quod solidum queat adferre præsidium, si ei victus ratio vel resistat, vel non adjuvet.*
4. *Rectè is est curaturus, quem prima causæ origo non fefellerit.*
5. *Qui benè dignoscit, benè medetur.*
6. *Est quoq; de officio Medici in curandis ægritudinibus diligenter dispicere, an in morbis lateat τὸ θεῖον τί, vel quid Divini.*
7. *Optima est curatio, quæ fit CITO, TVTO & IVCVNDE.*
8. *Satius anceps est experiri auxilium, quàm nullum.*
9. *Characteribus & figuris nulla vis est & efficacia naturalis in curandis morbis.*

Hæc Errata B. L. sic corrigat.

Pag.3.l.12. Hinq; leg. Hincq;. pag.4.l.34. filio l. filo. p.5.l.30. filia leg. filia. p.6.l.3. Doctius l. Dotius. ibid. Amymq; l. Amyniq;. p.9.l.22 לָבּ *l.* כֶּלֶב. *ib.l.27.* ἥπως *l.* ἥπιος. *p.16.l.13. Argv. l. Argiv. ib.l.18. Myreph. l. Myreps. p.20.l.2. l.credebant. p.32.l.8. ferenda l. verenda. ib.l.30. ipsi. l. ipsa. p.37.l.21.* Σχῦπτρον *l.* Σκῆπτρον. *p.41.l.28. intactus leg. intactis. ib.l.34. ♂. l. arsenicum, vel auripigmentum. p.42. lin.25. flexusè l. flexuosè. p.45.l.6. morbis l. mortis. ib.l.27. nuclci l. nuclei. ib.l.32. Pinum l. Pinus. p.47.lin.24. sacsiaro. leg. sacchoro. ib.l.32. dele, habere. p.50.l.15. bestia l. bestia. p.52.l.23. à mortuis l. à canibus. p.54.l.20. dele &. l.29. Festo l. Festus.*


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google